



## **Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita**

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

**Lingendes, Claude de**  
**Coloniae Agrippinae, 1689**

In Feriam Quintam & Sextam Post Dominicam Primam Quadragesimæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)

FERIA QVINTA

DOMINICÆ PRIMÆ

IN QUADRAGESIMA.

## CONCIO PRIMA

DE ORATIONE

De naturâ, necessitate, & tribus proprietatibus orationis, quòd sit meritoria, satisfactoria, & dispositiva ad multa bona.

*Omnia magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.*



UOD de humanis virtutibus dixit Philo Iudæus lib. de Profugis, eas fœminas esse, (certè nos illas fœmininis nominibus appellamus, vel ob illarum fœcunditatem, nam virtutes varias pariunt actiones; vel quia cum animis nostris, ut cum viris congressæ, prolem pariunt actionis) Idem de Oratione dicendum videtur, quæ ut appellatur nomine fœminino ita fœmina existimari potest, tum ob fœcunditatem; cum sit, ut ait Chrysostomus, Omnium bonorum parens fœcundissima, ideoque pluvie comparetur, quæ terras, quas rigat, fertiles facit: tum quia mulieres fere ad orationem sunt procliviores, & majores ad eam dispositiones habent, utpote quæ ut sunt imbeciliores, & de seipsis diffidentiores, facilius ad Deum recurrunt: Item ut quæ plus habent affectus, & teneritudinis, & plus lachry-

marum, quæ omnia juvant orationem. Certè si cætera deessent, una sufficere posset mulier Chananæ; cujus nomen vel ipsi orationi tribuendum, vel ipsa ab oratione appellanda fuit: adeò nobile orationis exemplum in ea nobis propositum est. Quare illius occasione de oratione nobis dicendum est, hoc est, de actione omnium communissimâ: Quia ex Nicolao de Cusa lib. 3. Exercitationum, visus per oculos; auditus per aures; intellectio per intellectum; amor per affectum fit; orare autem per ista omnia: Nam audire verbum Dei est orare: diligere cœlestia, cantare officia divina, totum est orare, juxta illud, Non cessat orare, qui non cessat benefacere: singuli singula habent officia: orare tamen spectat ad omnes, quandoquidem qui nec potest elemosynam erogare, nec jejunare, potest tamen orare: & corde, si murus sit;

& in agone etiam constitutus: juxta illud Psal. *Apud Deum oratio mea semper*, & Psalm. 70. *In te cantatio mea semper*: Porro quò communior, eò melior, sicut tactus melior est quàm aliis sensus, quia communior: inest enim aliis sensus non habentibus, & ideò destructis aliis sensibus, anima vivit: sed destructo hoc sensu, non est vita: sic inter elementa, ignis communior, quia communicat proprietatem suam superioribus, & inferioribus, ideòque nobilior est elementum: communicat lucem stellis, calorem elementis, quia nihil vivum sine calore: sic inter esse, vivere, & intelligere, esse est communior, & nobilior, & melior, ideòque ab omnibus desideratur: omnia enim appetunt esse, & est primum in intentione, & manet ultimum in resolutione. Idem de oratione dici debet, quò communior, eò melior: quò autem melior, eò facilior, sicut patet in virtutibus, fide, spe, & charitate: nam fides difficilem habet actum, scilicet credere quæ non videntur: & etiam spes sperare quæ non habentur: sed charitas actum habet suavissimum, amore enim Dei nihil suavius: siquidem semper habet charitas amantem conjunctum, quia ipsa est unio amantis cum amato: & quia facilior, ideò melior: nam ut ait S. Paulus, *major horum est charitas*: oratio itaque communior est, quia omnium est nobilior autem, quia comunior: melior autem, quia nobilior: Nobis igitur de re optimâ, & nobilissimâ, & communissimâ dicendum est: sed cum sine ipsâ de nulla re utiliter dici possit, nec de ipsâ sine ipsâ dici benè potest. **AVE MARIA.**

**D**ICTURIS nobis hodie de Oratione, hoc est (ex Chrysostomi homil. 1. de prece) de omnium bonorum capite ac fonte, quam etiam appellat *κεφάλιον αγαθῶν*, & *πύργος*, & bonorum initium, & extremum;

ad sit ipse Spiritus sanctus, qui orationem inspirat, & qui, ut ait Apostolus *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Nam ex Augustino, uti datur Spiritus timoris & sapientiæ, & aliorum donorum, ita datur Spiritus orationis, quoniam ipso inspirante fit: unde apud Zachar. cap. 12 Spiritus precum dicitur: *Esfundam super domum David & super habitatores Jerusalem, spiritum gratia, & precum*: Itaq; S. Chrysost. in cap. 8. ad Rom. vocat *εὐχῆς χάρισμα*, donum precum: quin etiam Orpheus in Hymnis, Preces *λίπας* filias Jovis appellat: certè Nyssen. orat. 1. de Oratione Dominica orationem vocat *ιερόν & ἑὶ θεὸν ἔργον*, sacrum & divinum opus. Sed ante omnia ejus naturam, & essentiam investigo.

Nota igitur 1. Me non accipere nunc orationem pro quocunque mentis in Deum ascensu, uti sumitur à Damasceno, & passim à multis, sed pro actu ipso postulandi aliquid à Deo: Hæc autem petitio, est quædam locutio, qua exprimimus desiderium obtinendi aliquid, non à quocunque, sed ab eo cui loquimur. Hinc orationis dignitatem colligit Sanctus Chrysost. orat. 1. & 2. de prece, quòd sit quædam cum Deo collocutio: itaque Sanctus Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, orationem vocat *θεοπρακτικὴν ὁμιλίαν*, divinum colloquium: In quo Chrysost. agnoscit divinam benignitatem, illamque admiratur, quòd Deus tantæ majestatis homines admittat ad colloquium: Vide quàm agrè adantur Reges & Viri Magnates: tu verò Deum qualibet hora potes adire. Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 3. epist. 22. ita de se loquitur gloriosè, quilibet habere nostra colloquia, munera credit esse divina: igitur quanto magis ut quis cum Deo colloquatur: unde orationis beneficio nos ipsis Angelis pares esse affirmat Chrysost. orat. 2. de prece.

precatōne: Etenim cætera omnia illorum, & nostra; ut natura, victus, sapientia, & quidquid dixerit quispiam, longo intervallo inter se distant: precatōnis autem officium est cum Angelis nobis commune. Nec mirum, quia precatō Angelorum dignitatem superat; idque illi cum probè intelligant, omnes ferè apud Prophetas, cum laudes & cultum Domino offerunt, summo cernuntur timore correpti, dum ora, pedesque præ veneratione tegunt: dum volatu motuque assiduo, summam reiigionis trepidationem præ se ferunt.

Nota 2. Hanc locutionem desiderij expressivam tres actus internos supponere: 1. est intellectus, quo judicamus, 1. rem aliquam nobis vel aliis convenientem esse: 2. eam Dei potestati subjacere: 3. ejus voluntati non repugnare: 4. sed potiùs conformem esse: 5. & ideò ab eo verisimiliter obtinendam, mediâ petitione; unde illi falluntur qui orationem inutilem esse dicunt, eò quòd Deus non possit voluntatem suam æternâ mutare, juxta illud, *porrò triumphator in Israel non pariet, & pœnitentia non flectetur, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam*: Nam non modò oratio non postulat eam mutationem, quin etiam è contrario offertur Deo, ut semper velit, id quod nunquam voluisset, nec unquam vellet, nisi oratio in rerum naturâ aliquando existeret: cum enim oratio sit petitio honesta, divinæque excellentiæ significativa, qua creatura tuam indigentiam, atque à Deo dependentiam agnoscit, eique se submittit, multa ejus intuitu, & dependenter ab ipsa rationabiliter concedit Deus, quæ si ipsa non existeret, nunquam vellet: Neque enim Deus absolutè definivit omnia, vel facere, vel dare hominibus, sed plurima conditionatè, plurima autem sub conditione orationis uti, patet ex verbis Christi, *Petite, & accipietis, quærite & invenietis*: non

accepturi nisi pietatis: non inventuri, nisi quæritis; Item, *si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo*, & alia sexcenta loca, ex quibus patet orationem esse medium, quo Deus plurima efficit, quæ alioqui non erat effecturus. 2. actus est desiderium eandem rem obtinendi; Hic actus connaturaliter sequitur ex primo, prærequiritur autem, quia alioqui ille ridiculus est, qui petit quod non desiderat; sed desiderat, qui possibile & bonum putat. 3. est actus volendi exercere actum aliquem voluntati externum, quo Deo exprimitur idem desiderium. Primus actus requiritur ut oratio sit honesta: secundus ne ficta, & mala: tertius ut oratio ipsa sit: itaque secundus est objectum ipsum significatum per locutionem illam in quâ consistit oratio: tertius autem imperat eandem locutionem. Hispositis

Constat 1. Orationem esse signum expressivum desiderij obtinendi aliquid à Deo, quod tamen aliunde ipsi notum est: Non igitur oratio ad hoc instituta est, ut Deus directè & quasi primariò desiderium nostrum cognoscat, ipse enim per se omnia novit, sed ut quod per se cognoscit, id ipsi à nobis manifestetur, signo aliquo naturæ rationali conveniente, Deique excellentiam, & liberalitatem declarante, ut eâ notitiâ moveatur Deus ad nobis concedendum id, quod ab eo obtinere desideramus: oratio igitur per se ordinatur ad notitiam nostri desiderij dandam Deo, non illius secundum se sumpti, sed signo aliquo expressi, ut hoc modo Deus moveatur ad concedendum: Unde colligo orationem esse actum intellectus, quia locutio, seu representatio pertinet ad intellectum, *omne enim quod manifestatur*, aut potiùs quod manifestat, verbum enim græcum est deponens, & hinc habet significationem activam, *lumen est*: Ephes. 5. itaque non pertinet ad voluntatem: *desi-*

desiderium enim non est sui ipsius representatio; sed per locutionem representatur, quæ est actus intellectus: ac licet Deus sæpe desiderium, antequam exponatur audiat, secundum illud Davidis, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*: non tamen sequitur, superfluum esse orationem, quam sæpe Deus expectat; nam neque desiderio facta est promissio, sed orationi: & hic modus loquendi significat celeritatem audiendi; nam ante perfectam orationem sæpe Deus exaudit, secundum illud, *accelera, ut eruas me*, præsertim ante orationem vocalem, sæpe enim lacrymæ, dolor, & gemitus exaudiuntur.

Constat 2. Orationem esse actum honestam pertinentem ad virtutem Religionis, quia continet significationem, & reificationem divinæ excellentiæ: Nam ex dictis supponitur iudicium quoddam de potentiâ, & liberalitate Dei: hoc autem & per se honestum est. & ad religionem pertinet: unde quia dies festi, ac præsertim Dominici, transgrediuntur sunt in actibus religionis: hinc fit ut oratio propria sit eorum dierum occupatio: hinc fit etiam ut qui sunt impij vix orent; atque orationis abjectio, signum sit impietatis & irreligionis: & domus orationis, dicatur Templum, ubi & sacrificium & adoratio: unde ab aliquo dictum est, *Necessitatem auxilij peperisse orationem*; hanc autem Deos invenisse: ita David *vitulos labiorum* appellavit; & primus actus Religionis est Oratio.

Hinc sequitur orationem necessariam esse ad salutem, 1. necessitate mediij, 2. necessitate præcepti: Mediij necessitas intelligenda est respectu auctorum, qui notabili tempore ante mortem justificantur.

1. Id colligitur ex verbis Christi & Apostolorum doctrinâ Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: in quod Chrysostomus; dum dicit, oportet, necessitatem inducit: &

cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, qua futura sunt, & stare ante Filium hominis*: & Marci 13. *Vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit*: 2. ad Thessalon. 5. *sine intermissione orate*: & Ecclesiæ 18. *Non impediaris semper orare*. quasi dicat, Nullam rem, nullum officium admittas, quod te impediatur, quominus possis semper orare, scilicet quantum pati potest humana fragilitas, quia quolibet tempore egere potes.

2. Quia eadem est orationis necessitas que gratiæ, & auxilij divini, nam pleraque auxilia ad salutem opportuna per orationem nobis sunt impetranda: Et si enim Deus ex sua ineffabili bonitate, etiam non orantibus multa sæpe auxilia præstet, tamen auxilia majora ad tentationes superandas, & singularem protectionem ac directionem, nec promittit, nec ordinariè confert nisi orantibus: Hinc S. Gregorius Nyssen. orat. 1. de Oratione Dominicâ, ut orationis necessitatem probet, ostendit homines communiter variis implicari criminibus defectu orationis, cujus præsidio non se muniunt; & factâ longâ enumeratione, in varias hominum condiciones, subdit: Et quid attinet singulatim exponere, quibus rebus multipliciter multisque modis, peccatum humanæ vitæ commiscetur? cuius peccati nulla alia causa est, quam quod ad ea, quæ in manibus habent, & studiose tractant negotia, divinum auxilium, homines non simul adhibent, neque assumunt: & multa alia in eandem sententiam.

3. Quia donum perseverantiæ, sine qua nemo salvatur, non confertur sine oratione: Augustinus libro. de dono Persever. capite 16. Constat (inquit) Deum nobis aliqua, etiam non orantibus dare, ut initium fidei: alia non nisi pro orantibus præparasse; sicut perseverantiam in finem: Ex eodem Augu.

Augustino refertur lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 56. Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire; nullum invitarum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari; nullum nisi orantem auxilium promereri. Ex quibus verbis patet tam ad salutem necessariam esse orationem, quam est auxilium Dei; quia illud non nisi per orationem obtinetur: Unde Hieronymus Epistolâ ad Ctesiphontem, contra Pelagium arguit, quod tollendo necessitatem gratiâ, tolleret necessitatem orationis, id enim est quod immediate sequitur: & eodem argumento sæpe utitur S. Augustinus: juxta quam doctrinam, idem lib. de Naturâ & Gratiâ c. 43. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Ratio horum omnium est, quia Dominus vult se, & sua beneficia agnoscî, & ut fateamur nos sine ejus gratiâ & auxilio, non posse, nec salutis pericula evadere, nec tentationes superare, nec salutem consequi: Itaque vult nos assidue ad se recurrere per orationem, & sic omnia salutifera impetrare: Huc faciunt variâ Sancti Chrysostomi comparationes, dum orationem, nunc vocat vitam animæ, nunc ut piscibus elementum aquæ, nunc ut oculis solem, ac lucem: Itaque Daniele mori maluisse, quam tres dies sine oratione transigere, licet Tyrannus nihil juberet impium, sed orationis tantum cessationem ad tempus: Verum sic apud se statuit, se non plus posse ab oratione cessare, quam ab aëris respiratione, & cordis motu.

Jam necessitas Præcepti colligitur. 1. Quia media necessaria ad salutem, sunt nobis jure divino præcepta, ut patet factâ inductione in omnia alia media, ut sunt fides, spes, charitas, pœnitentia, Sacramenta, &c. Sed diximus orationem esse mediû ad salu-

tem necessarium, igitur sequitur esse aliquod præceptum ejus divinum, quod passim legimus in Scripturis. Eodem pertinet, quod oratio necessaria sit ad fugienda varia peccata: unde monet Apostolus semper nobis esse orandum: *semper orate: sine intermissione orate*, & alia similia: unde sequitur tam præcipi orationem, quam peccatorum illorum fugam.

2. Ex præcepto Religionis, cujus ipsa est actus, etenim Natura rationalis intrinsicam habet obligationem colendi Deum, ut misericordem & liberalem collatorem bonorum omnium necessariorum, & congruentium: quod pertinet ad Religionem, & exercetur per orationem, in quâ orans petit sibi misericorditer, & liberaliter à Deo concedi, quod petit, & quo eget. E-nimvero eadem Natura debet colere suum principium eo modo quo pendet ab eo: pendet autem ab eo, non modò ut ab habente supremum dominium, quâ ratione colitur per sacrificium; nec tantum ut ab habente supremam potentiam, quâ ratione colitur per adorationem: sed etiam ut ab habente essentialem quandam misericordiam, & liberalitatem, quâ gratis omnia dat affluenter indigentibus: hoc autem fit per orationem, quæ includit propriæ indigentiae professionem, & dependentiam à Dei liberalitate. Quid quod Deus ideò voluit petitionem esse necessariam, ad obtinendum auxilium in gravibus necessitatibus, ut illæ necessitates quodammodo cogerent homines confugere ad Deum, eumque per orationem colere: unde sequitur præceptum colendi Dei, obligare ex intentione divinâ, in tali opportunitate, & tali modo: quod quidem præceptum Christus his verbis expressit, *Petite, & accipietis*, quibus hunc proprium actum, & specificum religionis præcipit.

Denique, quando actus aliquis virtutis ex naturâ suâ, vel ex institutione Divinâ habet honestatem necessariam ad salutem, tunc non solum charitas, vel aliæ virtutes generales, sed propria etiam virtus, ad quam pertinet talis honestas, obligat ad talem actum, quod in oratione contingit.

Jam verò cum illud orandi præceptum sit affirmativum, certum est aliquo saltem tempore obligare: hoc autem determinare satis est difficile: Illud mihi post plurimos Doctores probabilissimum est, peti debere ex radice obligationis, ideoque cum sit necessitas auxiliij divini, seu ad perseverandum, seu ad vincendas graviores tentationes, seu ad multa præcepta observanda: obligare in primis, quoties gravis occurrit aliqua tentatio: deinde in morte, mortisque periculo; denique identidem per intervalla in vitâ, ita ut nemo elabi sinat notabile tempus sine oratione: eò quod attentâ humanâ fragilitate, varijs vitæ periculis, occasionibus, atque illecebris peccandi, & varijs Dæmonum assultibus, multiplices indigeat divino auxilio, ne in tentationes incidat, atque si inciderit, ne vincatur: quod tempus prudentum iudicio, satis magnum mensis unius æstimatur. Nam in ijs casibus de suâ libertate confidere magna esset superbia: confidere autem in solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia: Tum quia sæpe extraordinarium auxilium, moraliter est necessarium, tum quia tale auxilium sperandum est debito modo, & per media à Deo nobis proposita, inter quæ ex potissimis, & maxime necessarijs est oratio: Unde facile judicare possumus quid tandem sperare nos oporteat de ijs hominibus, qui raro orant, & fortè nunquam, quia omni carent attentione. Nam cum oratio vocalis privata non sit sub præcepto, sed tantum mentalis;

hæc autem esse non possit sine attentatione; certè qui attentè orare non didicerunt, facile fit, ut multos annos sine oratione vixerint, unde medio ad salutem necessario caruerint. Equidem spectatâ nostrâ indigentia, semper, hoc est frequentissime nos orare deceret, secundum Apostoli consilium, *sine intermissione orate: in omnibus gratiæ agite, hæc est enim voluntas Dei:* Et ad Ephes. 6. *Orantes omni tempore, in spiritu: & in ipso vigilantes, in omni instantiâ, & obsecratione.* Quia ut ait Sanctus Chrysostomus orat. 1. de precat. Tam mens nostra precibus rigari indiget, quam aquis arbores. Sed ne à vobis nimis perfectâ exigere videar, saltem illud postulo, ut mane & serò orationi vacetis: mane quidem ob pericula diei; & serò dixit Chrysostomus loco citato, *Quomodo solem aspicias, non illum antè veneratus, qui oculis tuis lucem solis dulcissimam profert? Serò autem propter Dæmonum in noctibus insidias: tunc enim maxime corporibus nostris insidiantur: Quod si quem oratione munitum offendant: continuo, ut ait idem Sanctus, in fine primæ Orationis de precat. tanquam fures ac fœlesti refugiunt, qui gladium militis capiti appensum cernunt. Nec excludi debent extraordinaria tempora secundum occurrentes necessitates, uti superius à nobis explicatum est.*

Porrò cum quatuor sint in oratione eximi, ac velut proprietates, tria sunt illi cum alijs multis rebus communia, quartum verò ita singulariter orationi convenit, ut nulli alteri rei propriè covenire dici possit.

Primum quod habet Oratio cum multis alijs actionibus commune, est quod sit meritorea: ad quod requiritur. 1. actualis libertas, nam sine libertate nullum est meritum: 2. supernaturalitas, ut scilicet fiat ex fide & ex gratiâ actuali: 3. ejusdem honestas,

tas, hoc est ut fiat secundum virtutem : ad quod quatuor requiruntur, 1. Actualis notitia, saltem implicita, & confusa, potentia, & liberalitatis divinae, à quibus orans se pendere iudicet in obtinenda re quae petitur : Quia oratio hoc iudicium essentialiter supponit, & illud significat : 2. honestum rei petita desiderium, ut scilicet nec mala optentur, ut peccata, voluptates, vindicta, & inimicorum ultio: unde SS. Patres multa contra eiusmodi orationes in Dei dedecus & contumeliam factas afferunt : nec bona male, id est ob malum finem : cum enim Deus sit summè bonus, ei displicet omne desiderium rei malae, & malum desiderium rei bonae, juxta illud S. Jacobi cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quod male petatis.* 3. requiritur ut bona indifferentia conditionatè tantum petantur, & ob honestum finem optentur : Ratio est, Quia nescimus au indifferentia in his vel illis circumstantijs, nobis absolute sint bona, ideòque petenda tantum sunt sub conditione : 4. ut orans ipso orationis tempore Deum non offendat, saltem per actionem positivam, & deliberatam, quae contineat gravem Dei offensam : petere enim aliquid ab aliquo, & eum simul graviter offendere, est animi irreverentis, & impudentis : unde ex natura rei ad orationem praerequitur, ut delictorum venia, aliquo modo saltem, & confuso petatur, antequam aliud beneficium à Deo postuletur : id est ut ante petatur aliquod auxilium gratiae, quo mediante obtineatur venia delictorum, secundum illud Ecclesiastici 29. *Aperiat os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.* Jam quoniam est duplex meritum, unum de condigno, aliud de congruo : ad primum super praedicta requiritur gratia habitualis, ut in alijs operibus bonis : unde S. Thomas docet orationem habere ex charitate,

quod sit meritoria : Hoc autem non est necesse ad meritum de congruo : Sed sufficit si oratio fiat ex motione Spiritus sancti, & ex gratia : Ita oratio publicam poenitentis veniam meruit Lucae 18. *Deus propitius esto mihi peccatori : & Descendit hic justificatus, &c.*

2. Hoc habet oratio ut sit satisfactoria, modò adsint reliquae ad satisfactionem conditiones : unde passim Theologi opera satisfactoria, ad tria capita referunt, orationem, jejunium, & eleemosynam: Ratio est, Quia oratio est actus bonus, & honestus; fit ex gratia; & est opus poenale, quia continet ascensum mentis in Deum, qui magnam requirit attentionem ; neque fit sine carnis, & sensuum pugna : Ecclesiastici 12. *Frequens meditatio est carnis afflictio* : Hinc collige nullam esse multorum satisfactionem quae imponitur in Confessione, ob defectum attentionis in orando.

3. Hoc etiam habet oratio, ut sit ad majora bona dispositio. In eà enim anima, se humiliando disponit ad gratiam, & peccatorum remissionem, eamque ad se evocat, atque meretur: Ad hæc oratio animam promptam reddit ad opera virtutis, ob adjunctam considerationem, ob bonos affectus, & ut notat S. Thomas, ob spiritalem consolationem, quae animum emollit, & facilem, ac promptum reddit : Itaque Nyssen. orat. 2. de Beatitud. ait nos oratione fieri volucres, & alatos, & supra cœli testudinem poni: Quid, quod in oratione concurrant maximarum virtutum actus, fidei, spei, charitatis, fiducia, religionis, humilitatis, & aliarum: unde ex Chryl. orat. 2. de Precat. is non aberret, qui omnis virtutis, justitiæque Matrem esse precationem affirmet: neque posse eorum aliquid quae ad pietatem conducunt, precatione nudum animum penetrare: Jam cum oratio



quædam sit cum Deo conversatio, uti passim Sancti Patres loquuntur, quid ex eo congressu homo non referat? Si virgam ferream auro liquato immitteres, auream certè referres: Ita ex oratione, animam referes divinam: quam propterea S. Dionysius cap. 3. de Divinis Nomin. appellat *poliphuton seiran*, catenam undique fulgentem, quâ vel Deus ad homines trahitur, vel homines ad Deum, utrumque enim fit in oratione, & Deus ad homines se inclinât, & homines ad Deum evchuntur: hinc trahuntur ex hac conversatione divini mores, uti Moyses ex consortio sermonis divini Exod. 34. vultum retulit radiantem, ita ut non possent intendere filij Israel in ejus faciem, ait Apost. 2. Cor. 3. & quidem, ut addit. *Propter gloriam vultus ejus*: unde S. Damasc. orat. de Transfig. orationem vocat divinæ gloriæ demonstrationem: Hinc tantæ apud SS. Patres, orationis laudes: S. Chrysost. homil. 1. de incomprehensibili Naturâ Dei. Thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, denique author, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio est, atque etiam ipsa regiâ facultate potior, & superior: Et ideo Orat. 1. de Precat. Hominem ab oratione metitur: Quando, inquit, aliquè video à precationis studio abesse, nequè illius ardenti, ac vehemèti amore teneri, jâ mihi exploratum est, nihil ab eo magnificentum, nihil præclarum possideri: Quando verò aliquem cerno in Deo colendo sine fatietate persistere, quique non precari assidue, in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum acerrimum cultorem, Deiq; templum esse conjicio: Quod si amictus hominis, pedum gressus, & risus dentium, quæ in eo celantur intus, retegunt, ex sapientis Salomonis sententiâ; multo magis precatio, Dei que cultus est argumentum:

cùm illa vestis quædam sit spiritalis ac divina, quæ mentes nostras magno decore, ac pulchritudine induit, & exornat; quæ singulorum vivendi rationem aptam efficit, atq; compositam, quæ non patitur ullâ re vili, & absurdâ mentem occupari: quæ persuadet ut Deum, ac dignitatem, quæ ab illo in nos derivatur, vereamur: quæ docet ut omnes hostes improbi præstigias, atque fallacias depellamus, quæ turpes & indignas cogitationes abigit, quæ in voluptatis despicientiâ animum cujusque constituit: Et quidem, quomodo quis virtutem colat, qui non accedat, seque abiciat supplex assidue ad eum, qui eam nobis suppeditat, atque largitur? qua ratione quis temperantem, & justum se esse cupiat, qui non assidue cum illo versetur, qui & hæc, & plura, à nobis exigit? Hæc ille. Hinc summum Diaboli studium ut Orationem impediât, sicut passim docent Sancti Patres: Nilus quidem cap. 47. ait hominem inter & Dæmones certamen gravius insitui nullum quàm de Oratione: Rationem affert S. Basil. hom. de abdic. Ut quam, salutem afferre nobis, intelligunt, ab eâ nos abducant: Aliam S. Chryl. Pf. 140. quod sciant arma potentissima esse preces. Ideo rectè idem monet in Psal. 129. Quando orationem aggredieris, ne hoc solum quæras, ut quod petis accipias; sed etiam ut in ipsâ oratione, animam tuam meliorem efficias: nam hoc quoque est munus orationis. Quapropter si excipias Sacramenta, nihil habet homo in vitâ utilius, nihil præstantius oratione.

Sed de quâ tandem oratione loquor: Equidem non de illâ solum aridâ, & exsiccâ oratione vocali, unde multi iracundiores, atque alijs molestiores redeunt, quam meliores, aut instructiores: sed de illâ quæ animam domat, ac reddit mansuetâ. Quam plerumq; contingit, ut qui à Dei conversa-

versatione, & colloquio veniunt, ubi omnia pacata sunt, rectè posita, & ordinata, cum deinde ad homines redeunt, vehementer irascantur, ita illis omnia apparent indecora, susque deque everfa. Sic Moyses, licet esset omnium mortalium mitissimus, cum à Dei colloquio in monte, descenderet; & populum, ante vitulos aureos, quos sibi Deos elegerat, saltantem vidisset, tabulas Legis digito Dei conscriptas projecit, ac fregit; vitulos aureos redègit in cinerem, eumque bibere populum cœgit; friscoque gladio magnam hominum stragem edidit, adscitis sibi Levitis, ad tanti sceleris ultionem socijs. Quia nimirum oratio, ut mansuetum hominem efficit, ita fortem & generosum, & præclara omnia molientem, quoniam sensus omnes divinos in hominem transfundit: Ex quibus omnibus patet quod diximus, orationem optimam esse ad omnia bona dispositionem.

Quæ cum ita sit, mi Auditor, quid est quod re tanti momenti sic negligis, nec frequentas? Quam enim facile orationem dimittimus, quam ignavè, & quam negligenter facimus! Tantum temporis impendimus cum hominibus, & nunquam latietas est, etsi sæpè sit fastidium: ubi autem cum Deo agendum est, cum quo adeo suave est colloqui, illicò refugimus, nec eà in re sine fastidio hæremus, vel unum ad quadrantem. Certè ex omnibus quæ agimus in vitâ, nihil minùs bene agimus; hoc unum se nescire unusquisque ferè lamentatur, immò plarimi in lucro ponunt, si orationem possint effugere, ut laborem ingratiſſimum, vel ut aliquod supplicium. Et tamen, ô mi Auditor.

Cogita. 1. quantæ sit dignitatis, immò quantæ dignationis, te in Dei colloquium admitti, idq; tam facilè, quoties volueris, omni loco, omni tempore, quocunq; in sta-

tu existas: in vinculis; in carcere; in servitute, in supplicio; in paupertate, in morbo, in naufragio: Audi Davidem de se loquentem. *In tribulatione invocavi Dominum*: Item, *De profundis clamavi ad te Domine*: Hic nullus te licetor summovet à Rege: semper vocat, semper adest, semper audit: Si Deus te immediatè adiri non esset passus, si orantes non audiret, quantæ sæpè essent angustæ: nunc cum id patiatur, quod vulgo homines, præsertim magnates non patiuntur, cur hac occasione, & tantâ comoditate non uteris? Memèto venturum aliquando tempus, quando non audiet, quando auferet deprecationem à te: nunc utere, dum licet.

Cogita 2. quantæ sit necessitatis, cum ad multa habenda, quæ tibi planè necessaria sunt, unicum sit medium: fac quidquid vales, non habebis, nisi petas; ac si petas, habebis: cur gratis miser esse pergis; cur commedis, nisi quia aliter vivere non potes: cur respiras, & aërem attrahis, nisi quia ad vitam necessaria tibi est respiratio: cur non idem facis circa orationem, cum multa non nisi per orationem obtinere valeas?

Cogita 3. Quantæ sit utilitatis & fructus, nempe ad omnia bona, est enim instrumentum communissimum, & universalissimum, ad mala depellenda, ad omnia bona, & habenda, & agenda: Cætera omnia determinatas habent utilitates; uti patet in Sacramentis: quare oportuit esse plura, propter varios eorum effectus: sed oratio una potest omnia.

Cogita 4. Quantæ facilitatis existat, quæ nec scientiam requirit, neque virtutem, non magnum ingenium, non eximiam industriam: Satis est egere, satis est esse miserum, satis est carere: Vnusquisque petere potest: hoc omnes natura docuit, certe si non potes pulsare, si non vales quærere, sufficit si petieris: *omnis enim qui petit, accipit.*

Eheu si scires donum Dei, & quo emolumento Deus tibi orandi, & potestatem dedit, & facultatem! Tu forsitan petisses ab eo, & ille dedisset tibi. Quid dedisset tibi? certè quod petisses: Pete itaque, & dabitur tibi. Quid petes?

gratiam in hoc mundo, & gloriam in altero: ad quam deducat nos Iesus Christus qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum Amen.



## FERIA QUINTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QVADRAGESIMA.

## CONCIO SECUNDA.

DE ORATIONES.

Quod sit impetratoria &amp; quousque pertingat hæc proprietas.

O Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.

**Q**UOD secundò de Oratione dicere cogimur causa est quia non sufficit semel orasse, sed sæpius orandum est: immò si fieri posset, semper & continuè, juxta illud Christi Domini Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: homini enim Christiano, ut ait Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. *eski mèn asto o bios apas omilla pros teon*. Oratio est omnis vita, & cum Deo conversatio: quotidie Sol accenditur, quotidie quoque orandum est: Præcipitur Levitici 6. ut semper in altari ignis ardeat: & additur, *quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna mane, per singulos dies: Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*: Hoc de Oratione dictum intellige, de quâ iterum nobis sermo, neque enim mulier Chananæa semel clamasse contenta fuit, sed sæpius & Christum, & Apostolos interpellavit, & quanquam hi Christo dicerent, di-

mitte illam, quia clamat post nos, noluit tamen dimittere, quoniam ejus clamorem non molestum sensit, sed habuit gratissimum, quod & admiratione suâ ostendit: *o mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*. Idem à vobis expecto, nempe hunc de Oratione discursum vestrà admiratione finiendum: utinam addatis, *fiat tibi sicut vis*: hoc unum est quod nunc volo, ut in vobis orationis & æstimationem, & amorem ingeneret: Sed prius orationem ipsam adhibeamus, quàm de oratione dicamus: nostra omnis ad Deum per Christum, ad Christum verò per Virginem fieri debet. AVE MARIA. **I**N priori Concione diximus quatuor esse in oratione eximia: tria quidem illi cum alijs rebus communia, nempe quòd meritoria sit, quòd sit satisfactoria: denique quòd magna sit dispositio ad maxima bona: quæ omnia fuse ostendimus. Quartum autem

autem ita orationi convenit, ut nulli alteri rei convenire proprie possit, nimirum ut sit impetratoria, id est vim habeat ad impetrandum, quatenus ipsa petitio est.

1. Quidem, quoniam petitio ex natura sua ordinatur ut animum alterius inducat ad dandum id quod petitur, non quia emittitur, nec quia solvitur, nec quia aliquis illud meretur; sed solum, quia petitur, & rogatur: quatenus consentaneum est bonitati, & liberalitati ejus qui rogatur, moveri ad dandum, eo solum nomine, quia rogatur: atque hic modus impetrandi ita est proprius orationi, ut nulli alteri bono operi convenire possit; licet ab alijs rebus oratio juvari possit ad meritum, & dispositionem, atque ut petens gratior fiat donanti: Et hoc modo jejunium, & eleemosyna dicuntur alæ orationis à SS. Patribus, vel sorores, ut à Sancto Chrysostomo.

2. Quia orationi facta est promissio impetrationis. Psal. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Marci. 11. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, & venient vobis:* Lucæ 11. *Petite, & accipietis, querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui querit invenit, & pulsanti aperietur.* Et Ioan. 16. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem, in nomine meo dabit vobis, & passim alibi: Quod orationis privilegium quam sit eximium, ex sequentibus colligere possumus.*

1. Quod nullis finibus includatur, sed impetrare omnia possit, etiam quæ videntur impossibilia, sic enim indefinite Christus promissit Marci 11. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis:* Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* Ac ne dubites, omnis generis exempla habes in Scripturis: Chrysost. Orat. 2. de Preecat. Quæ ratione Moyses in bello Israelæ servavit? nonne arma quidem &

exercitum discipulo tradidit? ipse verò hostium multitudini preces opposuit? occultè pugnabat, manifestè vincebat: & precante Moysè Judæi victoriam reportabant: à precibus desistente, erant hostibus inferiores: diceres manus ejus, belli esse vexillum, quod victoria sequeretur: Non idem populum impia perpetrantem unâ prece servavit, divinumque aspectum & innumerabilia bona, per preces tantum consecutus est? hæc enim illi vitam incolarum cæli per similem conciliavit: quid enim agebat 40. diebus in monte cum Domino jejunos cõversans, nisi quod orabat, & cū Dominò colloquebatur? certè oratio Danieli, alterū fuit illi pro cibo. Precatio vim ignis superavit, leones edomuit, quorū alterū tribus pueris contigit. Hæc sanctū vatem genuit Samuëlem: nam cū ad sobolem natura Matri adversaretur, precatio exorta naturæ vitium correxit: Talis ex prece fructus extitit, talem deprecatio vatem procreavit: Hac David tot & tantâ bella confecit, nō armorum strepitu, non hastarum conflictu, non stricto gladio, sed precum præsidio communitus: Hac Ezechias Persarum multitudinem celeriter vertit in fugam: Et illi quidem ad evertenda mœnia machinas adhibebant: ipse verò precibus mœnia munit: Itaque extinctum bellum est, prece, non armis: non tubæ clangore, non terrâ sanguine aspersâ, sed exercitu conquiescente, hostibus unâ prece perterritis.

Eodem modo Nyssen. orat. 1. de oratione Dominicâ. Oratio Jonæ, Cerum domum effecit: Ezechiam verò ex portis mortis ad vitam reduxit: Tribus autem adolescentibus in ventum rorantem flammam convertit: Israelitis contra Amalecitas, trophæum erexit, & centum octoginta quinque milia Assyriorum unâ nocte gladio invisibili

bili prostravit: & alia innumera omnis generis exempla.

2. Quod omnia audeat, quid enim non auderet, quæ sibi omnia novit possibilia, & nihil impossibile: Audet cælum aperire & claudere ad libitum in Eliâ: audi enim quàm audacter loquatur 3. Reg. cap. 17. loquens ad Achab. *Vivit Dominus Israël in cuius conspectu sto. Si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba:* Atq; ut nemo dubitet id pertinere ad orationem Eliæ, sic rem intellexit S. Jacobus in suâ Epist. c. 50. *Eliæ homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit ut non plueret super terram, & nō pluit annos tres, & menses sex: & rursus oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum:* Ejus orationem Ecclesiasticus, appellavit verbum Domini: cap. 48. *verbo Domini continuavit cælum:* Ac vide num eleganter dixerit S. Chrysost. serm. 2. de Eliâ: *Clavis cœli fit sermo Eliæ Sanctissimi; jubet enim, & clauditur cælum; orat postmodum, & aperitur. Eodem sensu Augustinus serm. 226. de Tempore. Oratio justī clavis est cœli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio: Audet eadem Solem Lunam sistere in Josuë cap. 10. *Tunc locutus est Josuë Domino: Hæc verba orationem indicant Josuë: Vide autem quo illam perduxerit: Dixitque, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon steteruntque Sol & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis: in quæ Bernardus. Soli ut stet, non tam orat, quàm imperat, & meretur fides tam Solis obedientiam, quàm de hoste prostrato victoriam: Itaque S. Quiriacus apud Metaphrastem 29. Sept. miratur Josuë datum à Deo Soli & Lunæ aurigam: Pergit Scriptura. *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Nō sicut antea, nec postea, tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël: De illo Ecli. cap. 46. *Invocavit Dominum omni potentem****

*in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & sanctus Deus, &c. quia cum creatura sensu careat, oportet imperium factum à Josuë non tam creaturæ factum fuisse, cum sit imperij incapax, quàm ipsi Deo, à quo ille effectus processit: Audet eadem spondere miracula, Deumq; ad quædam obligare: uti fecit Elias propositâ conditione populo 3. Reg. c. 18. *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus: Audet etiam mortuis vitam polliceri in Elisæo 4. Reg. c. 4. *Ecce puer mortuus jacebat, in lectulo ejus, ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum: Vide quid sequatur, & oscitavit puer septies, aperuitque oculos: Quod factum audacius unquam videre priora sæcula, quàm illud quod Judith, & aggressa est, & perfecit, ut inter hostes captiva, tot hostium millibus cincta, mulier Imperatorem proprio ense truncaret: verè nova bella elegit Dominus: sed vide modum, vide fiduciam, veriùs dixerim audaciam c. 3. *Stetitque Judith ante lectulum, orans cum lachrymis, & labiorum motu in silentio, dicens. Confirma me, Domine Deus Israël, & respice in hac hora, ad opera manuum mearum, &c. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in eâ ligatus pendebat, exolvit: En primum facinus: audi quid sequatur, cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus. Ego certè in tantâ mulieris audaciâ totus contremisco: At tu quidem siste, ac vide, unde nam vires accipiat. *Et ait. Confirma me, Domine Deus, in hac hora: quid expectas, mi Auditor, nisi perfectum facinus? Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus, & abstulit conopæum ejus, à columnis, & evoluit corpus ejus truncum. O fortitudinem orationis: audi quid ipsamet canat in epinicio suo. c. 16. *Cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, &c. Horruerunt Persæ constantiam ejus, & Medi audaciâ ejus, &c.******

*Adonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tuâ, & quem superare nemo potest, &c. Qui autem timent te magni erunt apud te per omnia.*

3. Quod oratio omnia superet, est enim ait de Cula libro 7. Exerc. omnibus creaturis potentior: Nam Angeli seu Intelligentiâ, movent orbem, Solem, & stellas: sed oratio illis est potentior, quia impedit motum cœlorum: sicut oratio Iosue fecit solem sistere: Ut enim ait Ambros. lib. 10. Officior. cap. 10. Iosue, ne non impediret victoriam, magnitudine mentis, & fidei clamavit, stet sol, & stetit, dum hæc victoria consummaretur: Sic fortior fuit influentijs stellarum: & fortior animâ, quæ sine cibo non sustentat corpus: nam illa sine cibo, longo tempore sustentavit Sanctos, ut in Moysse, in Elia, & in alijs videre est: fortior etiam est Naturâ: Etenim Elias oravit, & ignis, cuius natura est sursum ascendere, descendit, unde Eccli. cap. 48. *Dejecit de cœlo ignem ter:* denique fortior est omni creaturâ, quia nulla potest creaturam unam in aliam transformare, sed quotidie id facit oratio consecrantis Sacerdotis in altari.

4. Quod eius potentia tam latè pateat, quam Dei omnipotentia: quod enim Deus potest jubendo ac imperando, hoc potest homo per orationem, & precando: unde oratio hominem facit alterum Deum: vis videre in Moysse? nihil non perfecit per orationem: audi Chrysost. ser. 43. per hanc Moyses fit Deus, & ad triumphos suos militare sibi, omnia mandat elementa: Ac ne putes exaggerationem esse eloquentiæ, audi quid Deus ipse dicat ad Moyssem Exod. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus: Deum vocat Moyssem propter eximia opera, quasi nihil illi non sit subiectum: unde sicut Deus non solet hominibus immediatè loqui, sed*

Tom. II.

per prophetas suos, quos ad homines mittit, ut suarum voluntatum interpretes, ita voluit Moyssem uti suo fratre, ut Pharaonem, & populum alloqueretur: sed neque hoc satis est ad orationis commendationem: Nonne etiam hoc est illustrius?

5. Quod cum Deo certet ex æquo: quid enim aliud significat Iacobi lucta cum Deo, nisi orationis certamen cum Deo: unde nominis mutatio, & Israël dictus est, interprete sancto Hieronymo, Princeps cum Deo, ac si parem cum Deo obtineret principatum, & æqua esset ipsius cum Deo compositio: D. Paulus Romanorum preces postulans cap. 15. *Obsecro vos fratres ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me, ad Deum:* In Græco est, ut mecum certetis in vestris orationibus pro me ad Deum: ubi notat Cardinalis Toletus, certamen vocari orationem Deo factam, quasi orationis vi, tanquam armatâ manu, quidquid à Deo petitur, extorqueatur: Ita Tertullianus loquens de Conventu Christianorum ad precationem, sic loquitur in Apologet. *Coimus ad Deum, quasi manu factâ, precationibus ambiamus: Hæc vis, Deo grata est: sic David certamen suum Deo denuntiabat Psal. 5. Mane adstabo tibi: quidam vertunt ex Hebræo, Mane ordinabo tibi, supple orationem meam: Vox bellica; quoniam oratio est quædam bellica impressio, quæ Deum aggreditur: Ac ne putes semper ex æquo, ac paribus viribus certare, hoc etiam majus habet.*

6. Quod ipso Deo superior evadat, eumque vincat: Ita Jacob luctatus cum Deo, non armis, sed precibus victor evasit, juxta illud Osée 12. *In fortitudine suâ directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, & confortatus est: stetit & rogavit eum:* Itaque sic animatur ne homines timeat. Gen. 32. *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præval-*

G

lii:

*his: Vide autem quò perveniat illa victoria, ut se se ipsi Deo opponat, etiam irato, etiã furenti, eique resistat: parum est quod dixi, ut vincula injiciat, ac frænnum: adhuc & hoc parum, ut ipse Deus hoc fateri cogatur: Etiam hoc non fatis, ut ipse Deus orationem quoq; adhibeat, & creaturam preceatur, ut agere possit: vide iratum Deum adversus populum Israël, cum vitulum adorasset: Illum certè disperdere decreverat: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non est Deus: Dominus zelotes nomen ejus: sed Moyses oratione suã Deum constrinxit: unde Dominus ad eum, Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciãmq; te in gentem magnam: Hieron. in cap. 13. Ezechielis. Cui dicitur dimitte me, ostenditur quod tenendi habeat facultatem: paraphrasis Chaldaïca. Intermitte preceationem: nam ut ait S. Hieron. epist. 12. Dei potentiam servi preces impediabant: ampliùs dicit S. Bernardus serm. de Magdalenã, feriendi licentiã quaerit à Moysè, qui Moysèm fecit: sed pergit Textus: *Moyses autem orabat Dominum Deum suum: sed quid secutum sit, audite. Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, adversus populum suum: iterùm vide furentem Deum: Cùm terra, absorbuisset Dathan, & Abiron cum omni eorum familiã, populus murmurare cœpit contra Moysèm; ea res ita Deo displicuit. Numer. 16. ut populum incendio delere decreverit, unde hæc verba: *Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos: ac ne putes inanes fuisse minas, brevissimo tempore 14. millia hominum, & septingenti, incendio perierunt: cùmque cæteros jam jam flamma esset consumptura, accurrit Aaron, & stans inter mortuos, & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit: Sed rem uberiùs expressit Sapiens Sap. 18. *Properans enim homo sine querelã, deprecari pro populis: Proferens servitutis sua*****

*scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, resistit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus: Vicit autem turbas (id est turbationem quæ ab incendio) non in virtute corporis, nec armatura potentiã, sed verbo, illum qui se vexabat subjecit: quare Sanctus Ephrem orationem arcum vocavit: Sanctus Ambrosius arma: Quid expressiùs dici potest? Eodem sensu dictum est Isaïæ 49. *Laude meã infruabo te, ne pereas: Vatablus ex Hebræo paraphrasticè trãstulit: Propter laudem meam, frænnum injiciam mihi, tui causã, ne te omninò excindam: Orationem vocat, laudem divinam, uti Jeremiã 7. *Nec assumes pro eis laudem, & orationem: Hoc autem omne perficit Oratio divinã quadam vi, & arcanã incantatione, planè mirabili, secundum illud Davidis Psal. 146. *Præcinite Domino in confessione: LXX. vertunt. Excantate Dominum, quasi Deus, cùm in humanum genus, ob innumera ejus scelera defævit, sanctis carminibus, ac preceationibus, à justã indignatione sopiatur & quodammodo excantetur: Quod adeò verum est, ut cùm Deus aliquid facere absolute decrevit, orationem potiùs impedire, ac prohibere soleat, quàm orationem respicere, & ei aliquid denegare: Puniturus Sodomitas, priùs ab eorum medio Lothum abire jussit: *Festina (inquit) & salvare ibi, quia non potero facere quidquam donec pervenias illuc. Genes. 19. Item puniturus sacrilegium Acham Josué 7. ducem populi Josué à precibus abstinere jubet: *Surge (inquit) cur jaces pronus in terrã: Puniturus inobedientiam Saülis 1. Reg. 16. prohibet Samuëlem orare pro illo: *Vsquequò tu luges Saül? Puniturus Jerosolyman, priùs aufert ab illã Isaïæ 3. *Prudentem eloquij mystici, seu ut legit Theodotio, prudentem incantatorem: Puniturus regnum Juda, præcipit Jerem. cap. 7. *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem,*********

*Et orationem, Et ne obstitas mihi*: Denique puni-  
turus quoscunque impios, prius justos à  
à terrâ in cœlum transfert, juxta illud Isaię  
57. *A facie malitię collectus est justus*, ne videli-  
cet pro injustis deprecetur: Ita planè Deus  
ne orationibus succumbat, præmonet ne  
effundantur, quasi effusas repudiare non  
posset: Vides quanta sit vis orationis, ut  
etiam Deus, se ad illi resistendum imparem  
quodammodò fateatur.

Ad hæc omnia unum hoc etiam ad ora-  
tionis commendationem facit, quod non  
minimum esse judico: nempe

7. Quod oratio ita sibi conjunctam ha-  
beat misericordiam Dei, ut à quo Deus ora-  
tionis facultatem non sustulerit, ab eo  
misericordiam non abstulerit teste Prophe-  
tâ Psal. 65. *Benedictus Deus, qui non amovit ora-  
tionem meam, Et misericordiam suam à me*: unde  
S. Augustinus. Cùm videris non à te amo-  
tam deprecationem tuam, securus esto, quia  
non est à te amota misericordia ejus: Ex-  
emplum Ninives proponit S. Chrysost. orat. 1.  
& 2. de precat. Statim enim ut oratio civi-  
tatem illam ingressa est, omnia commuta-  
vit: Temperantiam, justitiam, amicitiam,  
concordiam, pauperum providentiam, om-  
nia deniq; bona simul attulit. Nam quem-  
admodum ubi Regina quæpiam urbem in-  
gressa est, omnes in eam divitiæ confluant  
necesse est, sic ubi precatio in animum se-  
mel intravit, virtutes eam omnes comitan-  
tur: uno verbo, ubi oratio, ibi gratia, ubi  
gratia, ibi sunt omnia bona. Hinc ego facile  
intelligo, cur Sancti omnes ita orationem  
coluerint, ut eam sibi auferri non sint pas-  
si, ita ut Daniel cap. 6. mori maluerit, quam  
ex jussu Regis tribus diebus precationem  
omittere, etiamsi Rex nihil impium agere  
præciperet, sed tantum cessationem à pre-  
cibus trium dierum spatio; tãti orationem  
vir sanctissimus æstimavit.

Ex his omnibus unum concludo omni-  
ratione inexcusabiles esse homines si à vi-  
tiji non se emendent, si virtutes non com-  
parent, si non salventur, qui orationem om-  
nium bonorum fontem, & cujus tanta est  
potentia, & efficacia suâ in potestate ha-  
beant: Tibi omnia desint, modò orationem  
habeas, hinc habes unde omnia habere  
possis: quid adeò paupertatem mihi ob-  
jicis, quid egestatē, & virtutis inopiam, quid  
vitiiorum tyrannidem, quid passionum im-  
petus, quid occasionum illecebras, quid re-  
rum necessitatem? hoc unum tibi sufficit,  
orationis habes potestatem. Quod non ha-  
bes, pete, & postula; certò scias; impetrabis:  
oppignoratam habes Dei fidem, *negare se-  
ipsum non potest*: neq; enim contentus dixisse  
se omnia orationi concessurum, etiam ju-  
ramentum adhibuit. *Amen dico vobis, quid-  
quid orantes petitis, credite quia accipietis, Et ve-  
nient vobis*: & S. Jacobus, *Si quis indiget sapien-  
tiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, Et  
non impropert, Et dabitur ei*: Noli prætexere  
virtutum difficultatem, veteres consuetu-  
dines, naturæ vitia: Si credis, si oras, omnia  
possibilia sunt credenti, & oranti: Castus, ais,  
esse nequeo: Id facile crediderim. 1. enim  
quid te quotidianis periculis implicas?  
quid occasiones non fugis? 2. quid libidi-  
nem nutris intemperantiâ, & corpus foves  
delitijs? quid te varijs incitas illecebris,  
aspectu, sermonibus, spectaculis, conversa-  
tione, libertate, indulgentiâ? 4. quid quere-  
ris te non posse, quod non vis, neque enim  
verè vis esse castus? sed his omnibus, & alijs  
pluribus omissis, an illud rectè cogitasti,  
quod nemo potest esse castus, nisi hoc Deus  
dederit: & castitatem donum esse Dei: ad  
hæc Deum pauca dare, nisi orantibus: *Quin  
itaque petis, atq; flagitas à Deo castitatem?*  
*Quin illum imitaris, qui de se dicit cap. 8.  
Sap. Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse*



*continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ  
scire cuius esset hoc donum, alij Dæminum, & de-  
precatus sum illum: & dixi ex totis præcordiis meis:  
&c. Sed cave quod in se adolescente luxit  
S. Augustinus 8. Confess. cap. 7. Petieram à  
castitatem, & dixeram, da mihi castitatem,  
& continentiam, sed noli modò. Timebam  
enim ne me citò exaudires, & citò sanares  
à morbo coniuipiscentiæ, quam malebam  
expleri, quàm extingui. Et tamen quia pe-  
tijt, aliquando exauditus est: Etiam si illam  
nolis, pete tamen: fiet aliquando ut velis:  
voles ut fiat; fiet, ut sis: Et ait loc. cit. Augu-  
stinus, utique dares, si gemitu interno pul-  
sarem aures tuas, & fide solidâ in te jacta-*

*rem curam meam. Quàm multi sunt suâ  
sponte miseri! Tam omnia habent in pro-  
pinquo, ut ferè hoc illis desit, quod accipere  
nolint, quod offertur: nam qui invitantur  
ut petant, & quibus promittitur si petant,  
rem ferè habent in manibus: Certè multis  
id convenit Christi Domini, Joannis 16.  
Usque modò non petistis quidquam in nomine meo;  
petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum:  
hoc fac, hoc experire, mî Auditor: obsidem  
habes Deum Joan. 16. Amen dico vobis, si quid  
petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: A-  
pocal. 3. Hæc dicit, Amen, testis fidelis & verus.  
Amen. Amen.*



F E R I A Q U I N T A

D O M I N I C Æ P R I M Æ I N Q U A D R A G E S I M A

## C O N C I O T E R T I A

D E O R A T I O N E.

De infallibilitate impetrationis & de conditionibus hujus  
infallibilitatis.

O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.

**N**ON dubito quin me importu-  
num judicetis qui vobis tertio  
de Oratione loquar, sed memen-  
tote me de Muliere Chananæã  
tractare, quæ nullâ re nobilior fuit quàm  
suâ importunitate, ita ut dicant Apostoli  
Christo, *Dimitte illam, quia clamat post nos:* item  
nos in eâ agnovisse Orationem, quam ne-  
mo exhaurire potest, præsertim si de ejus  
potestate sermo sit, unde quidam apud  
Theo-

Theodoretum in historiâ religiosâ, omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest, quod nulli rei creatæ potest convenire: itaque ut quæ ad orationem pertinent, explicemus, pluries nobis de oratione dicendum est, sed neque iterum de ipsâ sine ipsâ iteratâ dicere possumus. AVE MARIA.

**H**OC rerum divinarum, & spiritualium proprium est, ut nullâ unquam oratione possint exhauriri: itaque quò plura dixeris, eò plura dicenda superflunt: eaque cum sint integra, non magna apparent; cum dicere inchoaveris, tunc quanta sint, vides, juxta illud Davidicum: *ascendit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Idem nobis circa orationem contingit, quam propterea Sanctus Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili naturâ Dei, appellat thesaurum perpetuum, divitias inexhaustas: cum enim de unâ tantum orationis proprietate fuerit sermo, nempe quòd vim habeat admirabilem quilibet à Deo impetrandi, eo usque, ut tantum valeat quantum ipsa Dei omnipotentia: licet illud sufficienter ostendisse videamur; quòd tamen de eâ re dicendum superest, majorē habet admirationem, & stuporem: ac nescio an aliquid aliud de illâ dici possit, nisi quòd hic thesaurus evacuari nunquam queat: hoc autem illud est, orationem non tantum vim habere impetrandi ex divinâ benignitate, quæ se se facile oranti inclinat, sed etiam certum habere, atque infallibilem, impetrationis effectum vi promissionis divinæ, quæ adeo expressis ac disertis verbis facta est, ut amplius dubitari non liceat: Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite; quia accipietis, & evenient vobis.* Et Lucæ 11. *Petite, & accipietis: querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui querit invenit, & pulsanti aperietur.* & Joan. 16. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomi-*

*ne meo, dabit vobis.* Psalm. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me,* & alibi passim sexcentis in locis, quæ nos de hac veritate ambigere non sinunt. Quemadmodum igitur Sacramentorum formæ ex divinâ institutione, sic operantur quòd significant; ut nemo jam de eorum effectu possit dubitare, quia infallibiliter illum sortiantur; ita quoad orationis impetrationem, nemini dubitare permittitur de infallibili ejus effectu: quo privilegio, nullum majus fingi potest. Verum quia constat, non omnem orationem honestam exaudiri: nam D. Paulus non est exauditus, cum ei dictum est 2. Cor. 12. *sufficit tibi gratia mea:* Hinc colligo ejusmodi promissionem non esse absolutam, sed conditionatam. Si enim esset absoluta, semper esset impetratio: quia quod Deus promittit, eo modo quo promittit semper implet, juxta illud 2. ad Timoth. 2. *Fidelis Deus est, se ipsum negare non potest:* oportet igitur eam esse conditionatam, & consequenter in oratione certas exigere conditiones, quibus positis, infallibilis existit, quarum vel unâ omisâ, non sit infallibilis, licet sæpe ex Dei benignitate, & purâ misericordiâ exaudiatur, uti fieret, etiâ si nulla intercessisset promissio: Has conditiones, varij Doctores varias afferunt post Sanctum Thomam 2. 2. q. 83. art. 15. ad 3.

Primam nonnulli volunt esse statum gratiæ, ut scilicet qui orat sit amicus Dei: alioqui enim ut cæcus natus aiebat Joan. 9. *Scimus quia Deus peccatores non audit, sed si quis Deus peccatores non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, huic exaudit.* & 1. Joan. 3. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus:* Et Pl. 65. *Si iniquitatē aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Nihilominus tamen exaudita oratio publicani Lucae 18. exauditi David, Ezechias, Manasses, & alij peccatores, mihi omninò persuadent, non requiri gratiam habitualement in orante, ut oratio sit infallibiliter impetratoria: Ratio est, Quia jus orationis in impetrando non fundatur in dignitate personæ orantis, sed in misericordiâ divinâ, & verbo ejus, seu promissione: igitur indignitas peccatoris non obstabit impetrationi infallibili, si alia adsint necessaria.

Probat etiam. 2. Quia promissiones Christi sunt generales, neque sunt limitandæ, ubi nec verba cogunt, nec materia, nec ratio divinæ justitiæ; & alioqui divina misericordia sine tali limitatione commendatur.

Confirmatur ex Parabolâ Christi de amico petente de noctu ab alio amico suo tres panes, quos non concedit tempore adeo importuno propter amicitiam ejus qui petit, sed propter importunitatem: quod expendens Sanctus Chrysost. homil. 56. de diversis sub finem, sic loquitur; Visne intelligere quanta res sit oratio: non tam valet amicitia apud Deum, quàm oratio: audi ex Scripturâ; quòd amicitia non perfecit, id ab oratione esse perfectum: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus, surget, & dabit illi quotquot habet necessarios: Vides quo pacto, quòd non potuit amicitia, hoc assiduitas potuerit? Nam quoniam fuit amicus, qui petebat, ne propterea rem illam perfecisse censeret, dixit, Et si non dabit illi surgens, eò quòd amicus*

*ejus sit, propter improbitatem tamen, &c. dabit illi: licet id amicitia non præstet, (inquit) assiduitas tamen præstabit, quòd amicitia minimè potuit. Et ubi tandem id accidit, In Publicano: Neque enim erat amicus Deo publicanus, sed amicus est factus. Patet itaque amicitiam non esse necessariam ad impetrationem: sed peccatorem exaudiri posse, modò affectum non habeat, ad peccatum; aut cogitans de peccatis, non omittat voluntatem respiscendi, atq; ad Deum redeundi: alioqui erit indignus qui exaudiat, cum videatur amicitiam contemnere; ideoque admodum probabile est, non esse illius orationem infallibilem. Itaque loca Scripturæ allata in contrarium, explicanda sunt cum eâ limitatione, ut negent orationem peccatoris, ut peccatoris, audiri, id est, cum actu peccat in oratione, vel petendo aliquod peccatum, vel aliquid indecens, vel cum pravâ intentione; vel sermo est de peccatoribus affectum habentibus ad peccatum suum, non verò de ijs qui non cogitant, vel de ijs qui emendationem proponunt, atque veniam postulant: alij enim peccatores qui affectum habent ad peccandum, vix possunt convenienter orare, & alias condiciones necessarias ad impetrationem afferre.*

Altera conditio necessaria ad impetrationem à nonnullis ponitur ut oratio unicujusque sit pro seipso, non verò pro alio. Nam si fiat pro seipso, infallibilis est impetratio ex promissione, concurrentibus alijs conditionibus; sed si fiat pro alio, eam certitudinem non habet, etiam si aliæ omnes condiciones concurrant. Ita docet Sanctus Augustinus tract. 73. & 102. in Joannem: idque probat ex verbis Christi Joan. 16. *Siquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*: & idem sentit S. Thomas, qui inter quatuor condiciones infallibilis orationis istam ponit,

nit, & post illum multi alij. Nihilominus tamen existimo hanc conditionem minimè esse necessariam, sed promissionem esse universalem, seu oret quis pro se, seu pro alijs. Ratio est, Quia passim in Scripturâ fit absoluta promissio sine hac limitatione; ut Joan. 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam, & alibi, omnis enim qui petit accipit, qui querit invenit, & pulsanti aperietur.*

2. Quia quod orando impetramus pro alijs, id nobis donatur: Ita Act. 27. dixit Angelus Paulo: *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum*, oraverat enim Paulus pro eorum incolumitate. Quod verò aliqui dicunt orationem pro alio non semper esse efficacem, quia non semper alius pro quo oramus, idoneus est ut accipiat, nihil conficit; nam idem dici potest de oratione quæ fit pro ipso: & in universum ea conditio subintelligitur, ut is cui aliquid petitur nullum ponat impedimentum: Quare hæc conditio nõ est necessaria ut fiat oratio pro seipso.

Existimo itaque cum Suare lib. 1. de oratione à c. 23. tres tantum ex parte orantis requiri conditiones, ut ejus oratio non tantum ex parte orantis requiri conditiones, ut ejus oratio non tantum vim habeat impetrandi, sed etiam ut infallibiliter impetret.

1. Conditio est ut oratio sit bona, & honesta: erit autem ejusmodi, 1. si sit de re honestâ, atq; honestè volitâ: nam ex sancto Damasc. Oratio est petitio decentium à Deo. Non igitur esse debet de re malâ, alioqui fit Deo gravis injuria, dum oratur ut sit author rei malæ, estque semper peccatum mortale, juxta illud Psalm. 108. *Oratio ejus fiat ei in peccatum*: Ita que Sancti Patres in eos graviter invehuntur, qui Deum orant, ut suos inimicos ulciscatur. Vide Chrysof. passim, maximè serm. 56. & 57. in fine de

diversis: Nyssen. orat. 1. de Orat. Dominicâ & alios.

2. Si non sit de re indifferenti, hoc est vel ludicrâ, vel tantum utili, tum quia cum oratio sit instituta ad cultum divinum, malè sumitur res indifferens tanquam ad cultum Dei pertineat: tum quia res indifferens, ut potest esse bona, potest etiam esse mala; ideoque peti non potest, nisi sub conditione. Alioqui inhonesta est petitio; scilicet nisi petatur quod petitur ob finem honestum: Ita; non licet petere lucrum ex ludo, neq; bona indifferentia, ut sanitatem, divitias, honores, & similia, nisi conditionatè: Nam uti præclare ait S. Basilius in Constitut. Monasticis c. 1. jussit Dominus, ut regnum cælorum quæreremus, nobis sufficienter de cæteris provisorus, *Querite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*, munificentissimus est enim idem, & augustissimus Rex noster (inquit) & indignè fert quandocumque quis exiguum a se aliquid petit, & de rebns ipsum, minimè ipsi convenientibus, rogat. Noli igitur illum tibi oratione tuâ iratum facere, sed ea petito tibi quæ digna sunt, & Rege, & Deo. Exemplum affert Gregorius Nyssenus oratione 1. de oratione Dominicâ. Ut si quis præ nimiam paupertate: aut rusticitate vasa ex luto fictilia, pretiosa putet, deinde ad Regem solidas divitias & dignitates distribuere paratum, accedat; atq; omiffis ijs rebus, quæ à Rege peti solent, tantâ dignitate præditum roget, ut luto subactò, atque concinnato efficiat aliquid, quod sibi cordi sit. Ita etiã is qui imperitè oratione utitur, non ad dantis altitudinem sese erigit, sed ad sordidas, humiles, & terram sapientes cupiditates suas, divinam potentiam descendere desiderat: atque hujus rei gratiã, vitiosos, & perturbatos animi motus & impetus, corda cernenti profert, non ut sanet ejusmo-

eiusmodi motus, sed ut auxilio Dei, repræsentato pravo impetu, deteriores efficiantur: 3. Ut non sit de re bona in malum finem; hoc est enim malè petere ut ait Iacobus cap. 4. *ut in concupiscentiis vestris insumatis*: 4. Neque de re impeditur majus bonum; cum enim concessio sit in bonum petentis, non debet oratio bono ejus se opponere, quod fieret, si id concederetur, non dico quòd prodesse per se non posset, sed quòd Deus videt de facto nociturum: & ita non est exauditus Sanctus Paulus cum peteret ut ab eo discederet angelus Satana, qui eum colaphizabat.

2. Conditio est ut rectè fiat, hoc est, quòd dicit Sanctus Thomas, ut piè fiat, ut scilicet circumstantia actus orandi non sit peccatù, ne includamur sententiâ D. Iacobi c. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*: Quàm enim vulgò homines irreverenter orant, quàm distractè. Hoc nimirum est in portu naufragium facere, ait Chrysostomus; in oratione peccare, ut ibi provocos, atque irritos justitiam Dei, ubi placare debuisses.

3. Conditio est ut oratio fiat ex fide; Matth. 21. *Omnia quacunque petieritis in oratione credentes, accipietis*; Marci 11. *Omnia quacunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*: Matth. 21. *Si habueritis fidem, & non hesitaveritis* & Iacobi 1. *postulet autem in fide nihil hesitans, qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumferetur: non erge astringet homo ille, quòd accipit à Domino*: Fides autem de qua hìc fermo, tam pertinet ad intellectum, quàm ad voluntatem. Prima vocatur credendi actus, secunda fiducia. Quatenus pertinet ad intellectum, excludit omnem dubitationem certitudini fidei repugnantem. Habenda est autem fides.

1. Promissionis factæ à Deo de exaudiendâ oratione, modò nihil obsit ex parte nostri,

quam omnes Christiani scire debent ex fide illius explicita: deinde executionis hujus promissionis. Ratio est, quia suppositis aliis principijs fidei, unusquisque tenetur credere eum esse veracem & fidelem in verbis suis; oportet igitur credere eum promississe, & quia fidelis est, id certò impleturum quòd promissit, modò adsint conditiones ex parte nostra, quas requisivit, fidelis est enim Deus, ac *seipsum negare non potest*: oportet igitur credere nos obtenturos, quòd petimus, non quidem absolutè, sed conditionatè; quia promissio non est facta absolutè, sed sub aliquâ conditione, de quâ dubitare possumus, cum non sit revelata: debet itaque esse fides 1. de promissione. 2. de infallibilitate promissionis. 3. effectu promissionis, sed sub conditione, quòd scilicet ex parte nostrâ nihil sit omissum.

2. Debet esse fides potentiæ divinæ; unde Christus Matth. 9. duobus cæcis visum postulantibus dixit, *Credite quia hoc possum facere vobis*; illisque dicentibus se credere; *tunc tetigit oculos eorum, dicens, secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum*.

3. Debet esse fides voluntatis Dei, nempe quòd audire velit, nam si promissit, voluit, immò si præcepit ut peteremus, certè voluit concedere; immò se ultrò offert dum præcipit.

Fides autem quæ pertinet ad voluntatem magis proprio nomine appellatur fiducia, quam tam sæpe Christus postulabat, *Confide fili, &c.*, & hæc est propriè firma spes, & robusta, excludens timorem, & animi trepidationem, oppositam spei Theologicæ; Dico oppositam, nam qui hesitat, quasi hæret, & non audet progredi, & operari, & in præsentia materia non audet petere; fiducia verò impellit ad opus, & si vehemens sit, facit postulare magno affectu, & efficacitate, & hoc est quòd dicitur, *postulat nihil hesitans*, quòd rectè explicat

plicat similitudo Sancti Iacobi, *Qui enim  
 hœsit, similis est fluctui maris, qui à vento move-  
 tur, & circumfertur*: id est, qui hanc fiduciam  
 non habet, neque in desiderando, neque in  
 petendo habet stabilitatem; quam habuit pa-  
 ter credentium Abrahamus de quo dixit A-  
 postolus Rôm. 4. *In re promissione Dei non hœsi-  
 tavit diffidentia, sed confortatus est fide*: Est igitur  
 fiducia, certa expectatio exauditionis, fun-  
 data in promissione Dei, qui *se ipsum negare  
 non potest*: Quia nisi sit aliquod impedimen-  
 tum ex parte petentis, aut rei petite, anima  
 sibi certò persuadet, se infallibiliter exau-  
 ditum iri, quoniam id DEVS promisit.  
 Sed quia tam in fide, quàm in fiducia,  
 inveniri potest magis & minùs in exclu-  
 denda hœsitatione; hinc sequitur, ut quo  
 major fuerit fides, ac fiducia orantis, eò  
 etiam sit efficacior oratio ad impetrandum:  
 unde agebat Paulus, *Si habuero omnem fi-  
 dem, ita ut montes transferam*, id est fidem  
 perfectam, cui nihil sit impossibile: ita Chri-  
 stus Matth. 17. Apostolos increpavit de in-  
 credulitate, quod lunaticum non potuissent  
 curare; licet sit verisimile, eos non habuisse  
 se incredulitatem infidelitatis, sed alium  
 defectum. Hic autem fidei defectus si su-  
 matur ex parte intellectus, ad practicum  
 potiùs pertinet, quàm ad speculativum, &  
 ad exercitium potiùs actus, quàm ad speci-  
 ficationem: Fides speculativa dicitur, qua-  
 tenùs præbet assensum rei revelatæ, quia so-  
 lum rei cognoscendæ, atque credendæ in-  
 incumbit: Practica vero dicitur, quæ veri-  
 tatè creditâ applicat voluntati, ut secundùm  
 illam moveatur, ac operetur: & ita fieri po-  
 test ut aliquis non habeat defectum in assen-  
 su fidei, seu certitudine, deficiat tamen  
 in applicandâ practicè hac veritate volunta-  
 ti, ut secundùm illam cum magnâ fiduciâ o-  
 ret: Ad hæc, ut licet quis credat in habitu,  
 & nullum habeat actum certitudinis fidei,

Tom. II.

H

posset

deficiat tamen in actuali fide, non quoad  
 specificationem, sed quoad exercitium ejus,  
 quia nimirum non actu considerat promif-  
 sionem DEI, & veritatem ejus; ex quo  
 defectu contingit, ut hœsitet in peten-  
 do, solùm attendens ad difficultatem, seu  
 magnitudinem rei postulatæ vel ad pro-  
 priam indignitatem. Ex hoc autem dupli-  
 ci defectu intellectus provenit, proporti-  
 onalis defectus in spe: & fiduciâ; nam  
 interdum orantis animus non erigitur spe,  
 non quia desperet, sed quia actu spem non  
 exercet; unde fit ut animus ejus fluctuet,  
 & deficiat in petendo sicut oportet: inter-  
 dùm verò licet spem exerceat, tamen id fa-  
 cit tepidè & remissè; & ideò vel non petit  
 perseveranter, vel in ipsamet petiti one ni-  
 mium est remissus, atque etiam plus hœsi-  
 tat, vel dubitat, quàm secundùm rectam ra-  
 tionem debeat, quod totum redundat in im-  
 perfectionem & defectum fiduciæ debitæ,  
 licet hœsitation non videatur peti ex par-  
 te DEI, sed ex aliis capitibus, quia de-  
 bita in DEVM fiducia deberet illum de-  
 defectum superare ac vincere. Adde quod  
 licet fiducia niti possit in promissione Divi-  
 nâ, non tamen in illâ solâ; sed etiam in bo-  
 nitate, & liberalitate Dei: Nam si ut benè ra-  
 tiocinatur S. Chryostom. homil. 68. de diver-  
 sis, quæ est secunda de Oratione, Quis lucem  
 Solis, Lunæ, atque Stellarum, Cæli tempera-  
 tionem, varia ciborum genera, divitias, vi-  
 tam, innumerabilia bona, omnibus homini-  
 bus, & probis, & improbis, à Deo æquè  
 dari & impertiri non videt? idque propter  
 eximiam suam in nos benignitatem: Quòd si  
 eos qui minimè rogant, aut petunt, ita mi-  
 seratur in dies, ac reficit; quantis bonis  
 eos frui par est qui in precibus, & obsecratio-  
 nibus ætatem agunt? Itaque licet sola promif-  
 sio non tollat absolutam incertitudinem ef-  
 fectus, nihilominùs fiducia petentis, multùm

posset confirmari ex fide, & consideratione bonitatis, charitatis, & aliorum attributorum Dei; ex qua, licet non perveniatur ad judicandum certò, & infallibiliter Deum effecturum quod petimus, sæpe tamen ita pervenitur ad judicandum ita credibile ac determinatum, ut excludat omnem actualem hæsitationem, & animum orantis reddat pacatum: Vt igitur summam faciam dictorum:

Existimo ut oratio sit infallibiliter impetratoria, sufficere, & requiri, ut sit in orante, ea fides in intellectu, quæ excludat omnem hæsitationem, repugnantem certitudinifidei: ea autem fiducia in voluntate, quæ tollat animi trepidationem repugnantem spci Theologica; atque ita, si oratio fiat ex fide verâ, ac spe, ex hac parte haberi conditionem sufficientem, ad impetrandum infallibiliter ex vi promissionis: licet ex parte voluntatis interveniat aliquis timor ex consideratione proprii defectus: Cùm tamen omnis actualis timor, & dubitatio expulsa est, potentissimam esse dispositionem ad impetrandum, eamque licet non semper, aliquando tamen necessariam esse ad perseverantiam, ac multò magis ad quædam impetranda quæ Deus aliter non daret, cùm præfertim aliæ conditiones defunt: Ac talis solet esse fides miraculorum, quæ provenit ex peculiari gratiâ, & motione Spiritus Sancti, ad quam etiam liberi non sumus, licet eade n liberè utamur: sicut docent Theologi de gratia præveniente: Atque de hac fide loquitur Cassianus Collat. 9. cap. 32. cùm ait signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus Sanctus monet ad petendum cum magna fiducia, & quadam quasi securitate, & certitudine impetrandi.

3. Conditio ad impetrationis infallibilitatem necessaria ab omnibus admissa est perseverantia, quæ tanti est momenti ut dicat

S. Hilarius can. 6. in Matth. obtinere in sola precum mora est: illa autem, duo continent, instantiam, & sustinentiam, seu expectationem, ut scilicet & frequenter & quasi importunè petamus & diu, atque constanter: Id Christus docuit Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: prima pars pertinet ad instantiam atque frequentiam orationis: secunda pars ad expectationem, ita ut non desistatur à petitione, licet non statim concedatur: contra quam à multis fieri solet, qui nisi statim exaudiantur, orationem deserunt, qui certè orationem non satis distinguunt ab exactione: unde præclare scripsit Nilus lib. de Orat. cap. 32. Ne petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare: vult enim te beneficio afficere, in oratione perseverantem: utrumque Christus nos docuit duplici parabolâ; Alterâ de illo qui petiit tres panes ab amico, quos obtinuit importunitate Lucæ 11. alterâ de viâ duâ, quæ à Iudice vindictam petiit de injuria sibi illata & per importunam, atque improbam perseverantiam impetravit Lucæ 18. Ex quibus parabolis discimus, nihil esse potentius ad impetrandum, perseverantiâ; & nos inde debere maximam spem concipere impetrationis: Nam quoad parabolam de amico, postulatè panes de nocte, attinet, præclare ita differit Basil. in Constitut. Monastic. cap. 1. Hoc exemplum idcirco proponitur nobis à Domino, ut in fide acres, ac pertinaces esse nos doceat: Exemplum enim ab homine, ad alium hominem sumit, ut intelligas nullâ laboris fatigatione debere te à suscepto proposito desistere, ut videlicet quomodocunque aliquid petieris, neque impetraveris, tam diu perseveres, quoad impetres: Hæc ille. Vide autem instantiam hominis semper fores pullantis: Vide pertinaciam, quod non desinat, nisi obtinuerit; obtinet autem non ratione amicitia,

citia, ne scilicet peccator desperet, sed propter importunitatem, ob quam plura etiam quam peteret accipit, ne occasionem haberet redeundi, atque iterato molestiam inferendi. Quoad parabolam verò de vidua, quæ importunitate extorsit ab iniquo iudice, ut ipsam ulcisceretur, præclare ita disserit Chrysostr. homil. 2. de precatione. Ad precationem cum CHRISTUS homines vellet allicere, iudicem quendam improbum, ac sævum inducit, qui pudorem omnem ab oculis abiecisset, Dei timorem expulisset ab animo: atqui satis fuit, iusti & clementis cuiuspiam personam inducere, ut eius iustitia, si cum divina clementia conferretur, vim precationis ostenderet: Etenim si vir bonus, & mitis, eos humaniter excipit, qui ad se supplices veniunt, quanto magis excipit Deus, cujus benignitatis magnitudo, non modò mentem nostram, sed ipsos Angelos fugit: Satis igitur fuit, ut modò dicebam, iusti iudicis personam proponere: iam verò iudicem crudelem, impium, inhumanum inducit, in alios quidem immitem, in obsecrantes certè benignum ac facilem, ut intelligas oratione naturam vel improbam ad lenitatem clementiamque traduci: Quorsum igitur Christus id fecit? Vt nemo esset omnium, qui vim precationis ignoraret: Cùm verò propterea in conspectu Iudicis acerbissimi viduam constituisset, ipsumque præter eius naturam, humanum ostendisset, à scelesto iudice ad Patrem suum, orationem traducit, optimum, mansuetum, mitem, humanum, scelerata superantem, multa peccata condonantem, quotidianas in se contumelias, Dæmonis honores, in Filium maledicta, & sexcenta nefaria facinora perferentem, quique, cùm tantis contumeliis appetatur, iis perferendis ita se clementem, ac mansuetum præbet. Is verò si cum debito timore ad se accedentes viderit, nonne subitâ misericordiâ capietur? Audite (inquit) quid Iudex iniquitatis dicat, *Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hac vidua, vindicabo illam*: Quid dicis? quod non potuit timor, id obsecratio potuit? non minæ, non supplicij metus, hominem ad æquitatem deduxit, & vidua, ubi supplex accessit, hominem ex agresti, & immani, mitem reddidit ac mansuetum? Quid igitur, de DEO in hominem benignissimo censendum est, cùm vidua se ad pedes abiciens, ferum ac ferreum hominem lenierit ac mitigarit? quantum bonitatis, quantum benignitatis, atque amoris in nos patefaciet Deus, qui solùm vult perpetuò misereri, punire nunquam: qui & supplicia nobis ob eximiam humanitatem comminatur, & magnos habet paratos honores, ut cùm timor, tùm spes honoris, recta nos deducerent: & spes quidem ad virtutem excitaret, metus verò à vitiis deterreret? Non queo ab iniquitatis Iudice avocare mentem, dùm in illius mansuetudine, quæ præter naturam erat, inexplicabilem DEI humanitatem erga homines amoremque contemlor: Nam si is qui nihil unquam boni præstare voluerat, immutatus repente, illius, quæ rogabat, misericordiâ commotus est, quantum felicitatis è cælo in nos precibus redundabit? Hæc Chrysostr. Ex his discite non tantum quâ fiduciâ orare debeas, sed quanta sit vis instantiæ, ac perseverantiæ: Vide autem in illustri exemplo, & magnitudinem perseverantiæ, & ejusdem potentiam: De Abrahamo loquor, quem ut ait Basil. de Constitut. Monasticis cap. 1. Deus, cùm ipse esset junior, vocavit, & è terrâ Assyriorum in Palestinorum fines transtulit, cùm ei dixisset. Tibi dabo terrâ hanc, & semini tuo post te, & sicut Astra cæli, sic erit semen tuum, quod numerari non poterit: Multorum deinde annorum jam numerus effluerat, naturalisq; in eo



jam ad procreandum vis erat extincta, & jamjam moriendi tempus instabat: neque tamen ille cum hæc eo modo pergere animadverteret, dixit unquam, Domine tu semper filios mihi promittis, & gentium multarum futurum me patrem prænantias: naturales in me ad creandam sobolem vires exacta jam ætas extinxit, & Sara uxor mea senio confecta, amplius jam per annos parere non potest: proinde fallax est promissum tuum: Neutiquam hæc ille dixit, potiusque nec cogitavit quidem, sed fide immotus permansit: cumque ætas quotidie magis ac magis ad senium declinaret, nihilominus excitabatur in eo, ac veluti juvenescebat spes, & collabente corpore, & desperationem afferente, spes ipsi, & animo simul, & corpori vires addebat: sic enim secum & cum animo suo cogitans dicebat: DEVS est qui promissit, ipse est Dominus naturæ, & aliter, quam quemadmodam ille promissit, rescadere non potest: ipse est qui quæ sua sponte fieri non possunt, ut fieri possint, facit: omnium enim rerum potens est, & arbitrato suo cuncta commutat: Hanc tu Abrahamæ fidem imitare. Nos verò annum oramus, & desistimus postea: biennium jejunamus, & jejunandi postea finem facimus. Nolumus igitur animum ad DEI promissum despondere: Qui enim illi promiserat se multiplicaturum semen illius, idem quoque promissit nobis daturum se quicquid ab eo petierimus. Ita Basilus. Post patris exemplum, nullum propius afferri potest quam filij: De Isaac loquor, qui ut adnotavit S. Chrysostom. homil. 57. de Diversis, pro uxoris suæ Rebecæ fecunditate annos integros viginti oravit: An non igitur (inquit) erubescimus, & confundimur, cum justum videmus, tot annos expectasse, nec abstulisse? Nos verò post unam, vel alteram petitionem, sæpe deficiamus, & indignamur: nam etsi hic

multam apud Deum fiduciam habebat, tamen dilationem doni non ægrè ferebat, sed patienter expectabat: at nos innumeris peccatis onusti, pravâ conscientia torti, nec ullam erga Dominum benevolentiam exhibentes, nisi prius, quam elocuti fuerimus, audiamur, animo concidimus, ægrè ferimus, à precatione abstinemus, quò fit ut vacuis semper manibus recedamus. Quis spatio viginti annorum pro una re Deum precatus est, sicut hic justus? vel potius quis viginti solos menses? Ita Chrysostom. Perseverantia tamen evicit, & quem natura uterum clauserat aperuit oratio: Hinc discite, quid possit perseverantia, sive expectandi constantia.

Ex dictis itaque patet, si oratio fuerit bona, atque honesta uti à nobis superius explicatum est: deinde, si ex fide facta fuerit: denique si cum perseverantia, & alioqui nullum ponatur aliud à persona impedimentum, infallibiliter esse impetratoriam ex vi promissionis divinæ. Quæ re nihil dici potest de oratione majus, nihil præstantius: plus enim potest aliquâ ratione, quam merita; plus etiam potest, quam amicitia; quò enim amicitia non pervenit, eò illa attingit: Audeo etiam dicere plus potest, quam vel ipsa Sacramenta, quorum effectus sunt determinati, atque ad quædam restricti, cum oratio nullis finibus includatur, sed uti diximus tam latè pateat quam omnipotentia Dei. Vnde igitur in nobis tanta negligentia, unde tanta socordia? Numquid num voluntariè miserii sumus? quia tam facile remedium, & quod habemus in manibus patimur esse inutile?

Quid de his sentis, mi Auditor, quid judicas? sciebas ne in Oratione tantas late-re divitias, tantum thesaurum esse absconditum? & si non ignorabas, quæ tua salutis incuria est, ut tanto bono non sis usus, uti oportuerat? Age, amabo, tot annorum spatio

spacio, quibus vixisti, puras te aliquid à Deo per orationem impetrasse? Si nihil, unde illud accedit? Numquid te Deus fecellit? sed *fidelis permanet, & seipsum negare non potest*: Quam verò te unum orantem & clamantem non audierit, qui tam multos quotidie audit & exaudit: qui ut ait David Ps. 146. *Dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*: An quia te audire noluit? sed non audire non potest, qui fidem suam obligavit: nec oratio repulsam unquam patitur: An quia audiri non membraris? Id facile credo: Sed numquid oratio vim habet obrinendi, propter justiciam orantis, ac non potiùs propter misericordiam audientis? nosti quæ diximus: Non quia amicus est: sed ideò qui petit, auditur, quoniam petit: *Nam omnis qui petit accipit, & petitioni facta est promissio*. Tunc scelerario Manasse? eius tamen oratio audita est. Tunc inferior Publicano, qui ne oculos quidem in cælum tollere audebat: Et tamen *descendit in domum suam justificatus*: An quia nihil hactenus petivisti? Pudeat hominem Christianum, in tantis periculis constitutum, inter incredibilem inimicorum turbam degentem, tot rerum indigum, post tot Christi documenta, & admonitiones, nil à Deo petivisse? An non gratis miser es, & infelix, & pauper? Quis tui deinceps misereatur, quis te omni gratiâ non judicet prorsus indignum? Si Deus sua dona proponeret venalia, si pro eorum pretio, tuas divitias, tua commoda, tuas voluptates, tuam sanctatem, tuum sanguinem, tuam vitam deposceret, certè omnia dare debueras: Cùm vero unâ conditione tibi omnia polliceatur, nimirum ut petas, quæ supina socordia, quæ insensibilitas, quis animi furor non petere? Lucæ II. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de celo, dabit spiritum bonum petentibus se?*

Quod si aliquid obtinuisti, quid illud est amabo? nescio si dicere potes, magis si audeas: Sed esto id verum sit, cur tua animatus experientia, præterito beneficio allectus, gustata Dei suavitate, non pergis ulterius cætera obtinere? Quod tibi supersunt virtutes habendæ? quot habes hostes non devictos? quot vitia non emendata? quot defectus modum correctos? quot dona, quæ non habes? quæ omnia ut habeas, unam tibi conditionem proponit Deus, ut petas ut postules: Nescis quæ in futurum tibi servantur, tua maximè referre, ut ea omnia tibi benè cedant; pœnitentia, perseverantia, mors, judicium? Si nemo sine pœnitentia salvatur, cur non oras quotidie cum Ecclesia, ut te Deus ad veram pœnitentiam perducere dignetur? Iacebat in lectulo brevi moriturus Augustinus; eo tempore Psalmos pœnitentiales, quos sibi iusserat describi, lectitabat cum lacrymis: Quid te vexas hominum sapientissime? Quia (inquit) nemo sine pœnitentia salvatur. Jam si perseverantiam mereri nemo potuit, sine qua tamen nemo salvatur, si nullis datur, nisi orantibus, quid cessas mi Auditor, cur non petis, cur non postulas? quotidie mori potes, & qualibet die tuæ perseverantiæ alea verti potest; cur igitur quotidie non postulas? Quoniam verò tuæ mortis dies multis negotijs erit impeditus, multis doloribus vexatus, multis appetitus insidijs, ut vix in tam multa sufficere unus possis, quid non provides? quid illum diem, qui tua tantum interest Deo non commendas? De S. Agatha legimus quod agonem suum Deo precibus commendabat: quin tuum non commendas? ut eveniat tibi, quod dicitur apud Jobum, *In sex tribulationibus liberaberis, & in septima non tanget te malum*: Et quia in iudicio cessabit iuge sacrificium, & tunc Deus istar viri zelotypi,

ri zelotypi, qui uxorem deprehendit in adulterio, non parceret in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima: Idcirco præveni faciem ejus in confessione, & dispone sermones tuos in iudicio: Certè Christus hoc unū nos docuit remediū Lu. 21. postquam docuit gravitatē eorū quæ nos manent in morte, & in iudicio: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante faciem filij hominis.* Quæ cum ita sint, Auditores, facilè intelligitis, quàm in magna sitæ salutis negligentia passim vivant Christiani, & quàm longè fallantur, cum nesciunt

quid in oratione cum Deo tractare possint, ubi tam multa, eaque maximi momenti sunt à nobis Deo proponenda, & petenda: neque id semel, sed quotidie, sed semper, sed ut monet Christus, omni tempore. *Vsque modo non petistis quidquam, petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum:* Venier illud tempus, cum oratio nostra vertetur in laudem, & in actionem gratiarum: *In illa die non me rogabitis quidpiam:* quid enim petat amplius, qui possidebit omnia? hoc unum tunc erit, quod ait Augustinus; Ibi nimirum videbimus, ibi amabimus ibi laudabimus, ibi regnabimus in sæcula sæculorum. Amen.



FERIA QVINTA

DOMINICÆ PRIMÆ

IN QUADRAGESIMA.

CONCIO QUARTA

DE ORATIONE

Ubi tractatur tota Mulieris Chananææ Historia.

*O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Matth. 25.



QUONIAM de Oratione à nobis dictum est, occasione Mulieris Chananææ, in qua cum universa quæ ad orationem spectant, ita sint expressa, ut de ea muliere agere, sit de oratione tractare, æquum est ut illud exemplum, vobis uberius pro-

ponam, ut quæ hactenus à nobis de oratione dicta sunt intanto exemplo, ipso facto, vobis expressa ostendam: ea enim de causa omnis illa historia ab Evangelistis enucleatius descripta est. Et ante omnia vide totius rei, & miraculi occasionem. Cum enim Iudæi quæ à Christo dicta erant, minùs benè accepissent, & jam tempus appropinquaret, quo

re gnum

regnum Dei ab eis transferetur, *egressus inde, secessit in patres Tyri & Sydonis*, hoc est in loca illis Civitatibus Gentilium vicina; hac loci mutatione, quantum desideraret Gentium vocatorem ostendens, & veluti rei futuræ edens prælagium, & Apostolos instruens, quid aliquando essent acturi; scilicet quomodò post ipsius resurrectionem, Judæis resistentibus Evangelio ad gentes essent transiituri: quo autem successu id fecerit, rei ipsius narratio nos docebit: sed primus nobis à cælo gratia accersenda est. **AVE MARIA.**

**Q**UOMODUM solent artifices suorum operum non solum ideas habere internas, sed etiam externa facere exemplaria, quibus conformia edant opera: Ita Deus non solum rerum perfectarum omnium internas habet ideas, sed fecit rerum omnium externa quædam exemplaria, ad quæ cætera omnia conformantur; ea autem solent esse mensura reliquorum. Ita in natura Solem fecit omnium lucidorum exemplar, Ig-nem omnium calidorum: quòd enim in unoquoque genere est primum omnium, solet esse reliquorum mensura. Idem fecit in moribus, & in virtutibus. Ita nobis dedit Abrahamum, ut insigne exemplum fidei & obedientiæ, unde ut ait Apost. Hebr. 11. *In parabolam illum accepit: Mosem dedit in exemplum fidelitatis Hebr. 3. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus: Davidem in exemplum mansuetudinis, Memento Domine David, & omnia mansuetudinis ejus: Ps. 131. Eliam in zeli exemplum; 3. Reg. 19. Zelo zelatus sum, pro Domino Deo exercituum, quia reliquerunt pactum tuum filij Israël, &c.* Et ut innumeros præteream optimæ orationis specimen, & quousque vires ejus perveniant, in Muliere Chananaea expressit.

Et primò quidem ne putares obtinuisse quòd voluit ratione sui meriti, genus ejus declarat; nimirum quòd esset Chananaea: Marcus gentilem vocat, ut scias infidelem. Deinde ne crederes ideò esse auditam quòd pro se petisset, nullam sui fecit mentionem, sed filia suæ: *filia mea malè à Damonio vexatur.* Verum cum omnia ad orationis perfectionem, & consequenter ad eius infirmitatem necessaria habuerit, illud tamen inter cætera in illa præcipuum est, atque eminent, quòd suâ perseverantiâ, instantiâ, sustinentiâ, & importunitate videatur à Christo, quasi invito, miraculum extorsisse, & quasi vim atque violentiam intulisse: uti de orationibus in communi factis, dixit Tertul. Apologet cap. 39. Coimus in cælum & congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ, precationibus ambiamus orantes: hæc vis Deo grata est: Verum in ea omni agendi ratione, nescio utrum è duobus debeam magis admirari; aut generosam oppugnationem quam adhibuit illa misericordiæ Dei, eam adigendo ad succurrendum miseriæ suæ; aut arduas tentationes quas Salvator suppeditavit illius patientiæ fidei & longanimitati.

Atque ut à primâ aggressione incipiamus, quis non credidisset, eam ab ipso initio, ingressuque ablaturam esse, tanquam per vim, effectum postulationis suæ, adeò se primo aditu dignam præstitit quæ exaudiretur? Utque ait S. Iohannes Chrysostomus hom. 53. in Matthæ ex quo plurima hunc in locum transferemus: considera omni beneficio dignam mulierem fuisse, & ut melius tibi persuadeas, audi narrationem ex ore Evangelistarum. Et ecce *Mulier Chananaea à finibus illis*

illis egressa, clamavit dicens ei: *Miserere mei fili David, filia mea malè a Dæmonio vexatur.*

1. Qualitatem mulieris notat, erat enim Chananaea, quam vocem cum audieris (inquit Chrysoft.) non poteris non meminisse iniquissimarum gentium illarum, apud quas leges, etiam ipsius naturæ, funditus eversa fuerant: Quà in te summum est ejus meritum, quod quanquam nullà lege, nullis Prophetis fuisset commonita: licet nulla coràm fieri vidisset miracula, sed tantum communi famà ob vicinitatem audisset: licet intelligeret Christum esse Iudæum: Iudæos autem eas gentes detestari, quoniam erant Infideles, & incircumcisæ: Vnde Marcus eam vocat Gentilem, & Græcam *ελληνική*, non quod esset Græca genere, sed pro consuetudine Iudæorum, qui omnes Ethnicos, & à verà religione alienos, vocare solebant Græcos, ut patet ex Actis Apostolorum, & ex Pauli Epistolis *Iudæo primum & Græco*, quia scilicet Græciorum apud Syros erant potiti, unde noster Interpres Gentilem vocat, seu Infidelem: sed Matthæus vocat Chananaeam quia ex gente Chananaeorum erat oriunda, quorum reliquæ remanserant in terrà illà quæ olim à Chananaeis seu filiis Chanaan possessa fuerat: itaque, inquam, licet ipsa Evangelij prædicationem nunquam audisset; nam Apostolis, cum prædicare mitterentur, id mandati Christus dederat: *in viam gentium ne abieritis*: ac licet innumeris rationibus à petendo deterreretur; quòd ignota esset, quòd externa, quòd ratione totius gentis inimica, quòd ratione suæ religionis non tantùm contraria & abominabilis, solà tamen suà miseriam & infortunio suo miseranda, audacior, & confidentior facta, plena spe & fiducià ad Christum accessit.

2. Non ausa fuit ire in Iudæam, quoniam seipsam putabat indignà; nisi enim is timor

eam deterruisset, ipsam Hierusalem profectò petiisset: quod facile colligere possumus tum ex ardore fidei ipsius, tum ex eo quod egressa est ex finibus suis.

3. Cùm Christus silentio voluisset ignotusque in eam regionem ingredi; (nam ut ait Marcus, *neminem voluit scire*; videlicet, ne videretur eo animo venisse, ut contra quàm Apostolis præceperat gentibus prædicaret, & palàm apud eas miracula faceret, quàm ex re Iudæi occasionem sumere potuissent dicendi se justè illum non recipere, qui cum prophanis gentibus commercium haberet;) mulieris tamen diligentia, atque studium id antevertit, unde ait Marcus *& non potuit latere* nimirum per ea omnia quæ fecerat, ut lateret, occultè veniendo, nec se per seipsum manifestando.

4. Vide diligentiam atque operam quam navavit. *Egressa* namque à finibus suis: ac filiam quidem in tanto periculo constitutam domi reliquit, rata dum medicum quateret filiam petire non posse: sed vide quale pietatis spectaculum excitavit: *Ecce Mulier Chananaea à finibus illis egressa, clamavit, dicens ei. Miserere mei fili David, filia mea malè a Dæmonio vexatur.*

5. Itaque non ausa ad Magistri & Domini conspectum Dæmoniacam filiam adducere: sed illà domi relicta sola ipsa ad supplicandum proficiscitur. Insuper ne accedit quidem sed eminè clamat: Erat certè miserabilis res quædam, ut ait Chrysoft. Mulierem aspicere, tam magno dolore coactam exclamare: mulierem (inquam) & matrem, & pro filià quæ malè vexabatur: miserabilis res erat, exclamantem præ dolore aspicere: Clamor equidem dolorem, atque animi angustiam ostendit: Quæ verò ex dolore, atque animi angustia & humilitate oratio procedit, ea maximà habet vim, atque robur: nam ut ait idem homil. 3. de incomprehensibili naturà Dei. *Es*

potissimum orationes exaudiuntur, quæ presso afflictoque animo reddantur, secundum illud Propheta. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me:* Ut enim aqua dum per plana & ampla spatia fertur, non in altum exurgit, sed tenuem sese quaqua versus expandit: cum autem manu artificum, subrus colligente stringenteque, coacta fuerit in angustum, jam inde constricta, omni telo velocius se in excelsum jaculatur, petitque regionem supernam: sic mens humana, dum otiosa, & liberior quam expedit, degit, diffunditur, latèque dilluit: dum autem rerum eventu a superiori, casuque subrus coarctante, aduerso sollicitatur; jam agilius se extendit, & intentas dilucidalque, seu claras, ac resonantes orationes mittit in excelsum. Clamor igitur mulieris Chananæ, vehementiam orationis ejus indicat. Quod verò ejus clamor, oriatur ex dolore, atque afflictione, id oratio eius satis probat: Etenim *clamavit dicens ei: Miserere mei fili David:* Miseram se dicit, & idè se misericordiam implorare. Nec dicit *Miserere filia meæ, sed miserere mei:* Num illa expers sensus jacet? Ego verò, vult dicere, illa sum, quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens, atque intelligens, infans, & mille vexor ærumnis. Eâ verò ratione magis commouet, dum ostendit non uni tantum hic agi periculum, sed duarum; Matris, & filia: Ad hæc ipsa in filiam Matris charitas aliquid merebatur: totam igitur in luctu domum ostendit; unde clamat, *Miserere mei:* Cum verò addit, *fili David,* omnes affectus ad impetrandam machinationes: Etenim eum Messiam, ac Christum agnoscit, & eam fidem profiteretur, quam quotidie Dominus, tot miraculis, tot doctrinis, tot Scripturæ testimonijs à ludæis exigebat: ipsa verò nullis erudita Scripturis, nec visis miraculis provocata eum Messiam ag-

noscit ac regem; atque ita hæredem ac filium Davidis. Ejus autem potissimum meminit, ut ei Davidis mansuetudinem ac bonitatem ob oculos poneret, secundum illud Propheta. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus:* Quæ verò sit sua miseria, sic exponit, *filia meæ malè à Damonio vexatur.* Morbi quidem genus exponit tantummodò, nec aliud quidpiam addit, tum ut ostendat, eam esse morbi, & calamitatis magnitudinem, ut nihil gravius dici possit: tum ut demonstret se ita de eius misericordiâ confidere, ut necesse aliud non sit quàm necessitatè suâ exponere. Ita Lazari sorores, *Eccè quem amas infirmatur:* Medicum autem non in suam domum, ut Regulus ille adducere conatur, qui dicebat, *Veni, & impone manum tuam, & descende, antequam mori iacur puer meus:* sed expositâ suâ calamitate, & narratâ morbi filia suæ magnitudine, misericordiam à Domino vehementius postulabat, clamans *Miserere mei, Fili David:* O mi Deus! quanta vis, quàm acris violentia, ipsoque in aditu quam vehemens sollicitatio! quid non merebatur eiusmodi precatio, quid non debebat aggressio tam violenta auferre? Considera omni beneficio dignam mulierè, seu personam quæ petit; Mater est quæ petit: Pro quo petat; pro filia, quæ nec potest pro se petere: Et quid petat; liberationem à summa & urgente necessitate: Et modum petendi; quia clamat: Et quid interponat; nempe & Dei misericordiam, & Mediatoris officium. Verum de hoc priori conatu satis est.

Videamus consequenter primam ipsius patientiæ probationem. *Ipse autem non respondit ei verbum.* Quàm hoc novum atq; inauditum est, ait Chrysol. Ipse quidem ludæos ingratos & blasphemantes ultro inquirat, rationibus etiam inducit, & blasphemantes rogat, & tentantes non negligit: hanc autem quæ sponte venit, quæ deprecabatur, & supplicabat, quæ

quamquam nullâ lege, nullis Prophetis com-  
monita fuit tantâ cum reverentiâ accessit, nec  
responso quidem dignam putare videtur. An  
1<sup>o</sup> quia ei fides deerat? hoc certè dici non po-  
test. Credidit enim Iesum esse filium David,  
hoc est, Messiam, & Salvatorem à Iudæis expe-  
ctatum: sic quippe passim Iudæi Messiam ex-  
primebant, per circumlocutionem, cum fili-  
um David vocabant: Itaque Angelus ad Mari-  
am, Lucæ 1, *Dabis illi Dominus Deus sedem Da-  
vid Patris ejus*. Credidit etiam posse, & velle  
quibuslibet salutem afferre, etiam indignis;  
itaque licet talem se nosset, non dubitavit ab-  
eo sanitatem filiaë deposcere. Credidit etiam  
ejus potestatem superiorem esse Dæmoniacâ  
virtute, neque putavit illi opus esse oratione,  
aut precibus, aliorum more, ut filiam suam sa-  
naret, sed potestate suâ id posse efficere, etiam  
absentem: unde non dicit, ora Deum pro me,  
aut descende ad filiam meam, sed tantum, *mi-  
serere mei, & adjuva me*. Denique credidit il-  
lum unicum esse Salvatorem divinitus datum  
hominibus: itaque ad illum solum confugit,  
& illum majora posse patrare, quàm filiam su-  
am à Dæmone liberare, ideoq; hoc miracu-  
lum vocavit tantum nîcam. An 2. quia non sa-  
tis habebat fiduciâ? Sed vide qualem habuerit  
ut derelicta domi filia eum secuta sit, nec di-  
miserit donec obtinuerit, quasi certa esset se  
obtinuram. Quis porò misericordia flexus  
non fuisset, cum pro laborante filia ita humi-  
liter supplicantem, oculis cerneret? nec enim  
quasi digna, nec quasi debitum efflagitans adi-  
git, sed misericordiam petebat, & calamitates  
suas tragicâ oratione narrabat. Nullo tamen  
responso digna visa est. Certè hîc liceat *usur-  
pare* quod alicubi dixit S. Augustinus, cum  
quidam ipsius amicus oraret cum lacrymis &  
ejulatu secandus à Chirurgo ob fistulam, assi-  
stentibus precanti multis Episcopis, è quibus  
unus erat Augustinus: Domine si tales preces  
non exaudis, quas exaudis? Audierant sanè  
multi eum adeo esse misericordem; quia cir-

cumiens civitates, & pagos Iudææ, aegrotos  
omnes curabat: hanc tamen vident malorum  
suorum remedium deposcentem, repelli:  
Multi forsitan eorum, qui aderant, aut qui au-  
dierant scandalum passi sunt, ipsa verò nec  
commota quidem fuit: Quid dico, multos  
qui audierant, cum discipulos ipsos mulieris  
calamitate comotos, fuisse non dubitem, non  
tamen ausi sunt dicere concede quod ipsa pe-  
tit, rati aliquid subesse in silentio Christi.

Ipsa itaque 2. rem de integro aggredirur, ac  
discipulos interponit atque interpellat: audi  
enim quid dicat Evangelista, *Et accedentes Dis-  
cipuli ejus, rogabant eum dicentes, dimitte eam:  
quia clamat post nos*: quasi aliquid minus ipsa  
mereretur, Apostolos interponit: quasi nimi-  
um audax fuisset, quæ per se tantum Domi-  
num adiisset: putavit itaque se per ejus dome-  
sticos obtenturam, quod per se obtinere non  
potuerat. Ad hæc ne uni tantum molesta esset,  
omnes simul & discipulos & Magistrum in-  
terpellabat. *Quia clamat post nos*:

Sed audi alteram etiam ejus constantiæ  
probationem: Qui enim rogantem mulierem  
dignatus non fuerat responso, ita Apostolis  
pro eâ rogantibus responderet, ut omnem spem  
impetrandi præcidere videatur. *Non sum (in-  
quit) missus nisi ad oves quæ perierunt domus Is-  
raël*. O vocem ipso silentio accerbiorem! Si  
ipsa loquitur, Christ<sup>o</sup> non responderet: Si Apost.  
intercedunt, ita responderet, ut omnem spem exi-  
mat: neq; enim de suâ voluntate aliquid dicit.  
Etenim si nollet, precib<sup>o</sup> flecti posset, sed im-  
possibilitatem ostendit, & quod non debeat,  
itaque nec fieri possit: quoniam cum non agat  
nisi missus, ac tantum ad oves Israël sit missus,  
nil alij ab ipso sperare possint: quid hic igitur  
mulier speraret, cum ne fieri quidem posse  
speraret? Ad hæc cum videret patronos ipsos,  
& eos, Apostolos, repullam passos esse: im-  
mò cum eos videret tali repullâ in silentium  
esse redactos, jamque rogare desuisse, quòd te  
frustra rogaturos cognoscerent, quid spera-

re ipsa ulterius poterat? Quid igitur mulier posteaquam hoc audivit? Num tacuit, ac desistit, aut alacritatem remisit? nequaquam: sed magis instabat: Nos verò non ita: Nam cum id non assequimur, quod volumus, desistim⁹ cum propterea magis instare oporteret. Verum quem non perplexum reddidisset talis responsio? quem ardorem non fregisset? singas re illius mulieris loco fuisse, & tibi sic à Christo responsum; quam citò desperasses? At tamen non desperavit mulier, sed cum videret patronos suos nihil effecisse, pulchrà quadam in verecundiâ in verecunda fuit.

Audi itaque tertiam ejus instantiam, atque hinc discite, quam in oratione constans, quam pertinax, quam perseverans, quam importunus esse debeas: Cum enim à principio in conspectum venite aula non fuisset, dicunt siquidem Apostoli, *quia clamat post nos*: quo tempore consentaneum videbatur, ut ipsa reb⁹ desperatis longiùs abiret, aut ad suos reverteretur: *Tunc*, ut ait Evangelista, *illa venit*, id est accessit, & adoravit eum, dicens, *Domine, adjuva me*. Quid hoc est mulier? Num plus habes fiducia quam Apostoli, num plus virium? Fiduciâ (inquit) & virium nequaquam: quin & pudore abundè suffundor: attamen ipsam in verecundiam pro supplicatione propono. Non meritis fulta accedo, sed miserâ, & importunitate: ut spero meam fiduciam, & libertatem verebitur, eumque mea tanget calamitas: satis sum misera, ut succurrere mihi velit: satis sum infelix, ut importuna fieri possim: & tam ero importuna ut obtineam tandem quod peto. Sed quid hoc ô Mulier? Annon ipsum audivisti dicentem, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël*? Audivi (inquit) sed ipse Dominus est: propterea non dicebat, ora, & precare, sed *miserere mei, sed adjuva me*: sic missus est ad oves Israël ut esset & illarum & omnium Dominus.

Audivisti tertiam mulieris instantiam, audi etiam tertiam virtutis ipsius probationem, cui similem nullibi unquam leges. Certè Chri-

stus non ab initio illâ usus est, durior enim fortasse visâ fuisset; sed cum mulierem, per minores probationes expertus fuisset, tum demum ipsam summâ istâ probatione exercet. Quid igitur? ipse Christus prioribus non fuit contentus repullis, sed rursus auxit desperationem, dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Suaviùs, & optatiùs non responderat, quando ipsâ clamante, *non respondit ei verbum*: nam beneficium petebatur, quod ipse poterat non concedere, neq; enim petebatur ut debitum, sed quod gratuitò daretur, & quod poterat negari præsertim cum longiùs abesset, quasi clamantem non audisset, aut quid veller, nesciretur: Quod Apostolis responderat, ferendum videbatur; nam voluntatem suam non causabatur, sed alterius quasi imperium: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël*. Nunc verò, non jam ad alios causam traducit, nec se affirmat non esse missum, sed præsentem, & in genua prostratam, contumeliâ afficit, alijs postponit, atq; canem appellat, quâ appellatione nulla vilior, nulla contumeliosior fingi potest. *Non est bonum, καλόν*, hoc est honestum. *sumere panem filiorum, & mittere canibus*: Iudæos, non oves, ut priùs, sed filios, ipsam verò canem appellat: incongruum autem ait esse, quæ dantur Iudæis ut filiis, illi projici tanquam cani: Quid illud tandem est? quantò illa ferventiùs orat, tantò ipse vehementiùs retrudit? Quis non offensus discederet, quis non indignaretur? quis non quereretur se contumeliâ appetitum? si negandum fuit beneficium, nonne satis fuit non dare, præsertim tam necessarium, & tam afflictæ & perditæ mulieri, quod tanto dolere, & tantis lacrymis petebatur, quodq; tam facilè donari poterat, & quod à donante, tam facili, tam benefico, & in omnes tam propenso petebatur; quæ omnia ad dandum impellebant?

Quid hîc mulier faciet? sperabit, opinor, ut Christus aliud faciat, quam id ad quod missus est? ut id concedat, quod incon-



gruum est, & inconueniens? sperabit, ut qui tam asperè locutus est, qui cum tantâ contumeliâ reiecit, factis tamen sit amabilis ac liberalis? Audi mirabilem Mulieris constantiam, & virtutem: Audi vim mirabilem orationis: atque ab exemplo mulieris disce, quantum valeat deprecationis instantia, atque importunitas. Ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem connectit, & quartò vehementius instat, atque perumpit: *Etiã Domine* (inquit) *nam & catelli edunt de micis qua cadunt de mensâ dominorum suorum: sensus est. Tu me canem vocas, etiam Domine, me canem agnosco, canis sum, hoc fateor: sim sanè canis, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum: itaque saltem de micis debeo comedere: Vide 1. Mulieris hujus maximam humilitatem, quæ non irascitur, neque offenditur, dum canis appellatur, sed magis ipsamet se canem appellat; Item non invidet Iudæis, cum audit eos vocari filios, immò ipsa Dominos suos illos appellat: Vide 2. constantiam, nullâ enim ratione patitur se dimoveri à fiduciâ obtinendi: Vide 3. prudentiam, quâ sic artispuit Christi responsionem, ut eum verbis suis quasi illigari: nam ex responsione Christi, concludit sibi concedendum quod petebat: Itaque quod disputantes vulgò dicere solemus, cum adversarius aliquid dicit, quod maximè nobis putat adversari, nos autem existimamus, causam nostram maximè iuvare, indèq; arguemur, id ipsa nunc præstat dicens: Hoc est quod volo me esse canem, *nam & catelli edunt de micis, qua cadunt de mensâ dominorum suorum*: Micas appellat minora, ac min<sup>o</sup> frequentia miracula, ut Theophylactus annotavit: Quasi dicat non peto à te, ut passim hic, sicut apud Iudæos, miracula facias, ut cæcos cures, mortuos exsuscites; sed unum tantum, & suâ naturâ minus difficile, ut Dæmonem à filiâ meâ expellas: Cum verò ait *qua cadunt de mensâ*: significat non rogare se, ut ex professo,*

quemadmodum apud Iudæos, miracula faceret, sed ut obiter, & quasi transeundo; non quasi dederis, ac ne projeceris quidem, sed quasi tibi exciderit, quemadmodum solent ex mensâ divitum micæ cadere.

Quid expectatis, Auditores, ex eâ instantiâ secutum, nisi Christum quasi nolentem, victum, atque adactum esse ut faceret, quod misera mater sic postularat? Ut autem scias victum fuisse, audi concedentem, sed potius audi exclamantem: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Vide quanta sit virtutis præstantia: non tantum obtinuit quod petebat, sed quod majus est, virtutis approbationem, & commendationem, immò & admirationem; Tu verò non admiraberis, quod vel Christus admiratur! *Fiat tibi sicut vis*: hoc est tantæ fidei, & constantiæ negari nihil potest. Atqui dixeras, non esse bonum, neque honestum mittere canibus panem filiorum? at quod per se non erat honestum, id precatationis instantia fecit honestum, & bonum: Sicut quæ erat extranea, & alienigena, immò indigna, & canis, eam tamen precum frequentia dignam fecit, non tantum ut inter filios censeretur; sed etiam, ut multis laudibus honestata dimitteretur: dixit enim, *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*: In primis, ac si diceret, fides quidem tua, majora quam petis, posset impetrare: veruntamen fiat, sicut vis: si plura, si majora voluisses, impetrare potuisses: fiat itaque sicut vis: hæc vox illi affinis est (ait Chry.) quâ dictum est, fiat cælum & factum est cælum: & sanata est (inquit textus) *filia ejus ex illa hora*, vocem enim dicentis effectus est secutus. Deinde uti scias non parum ab ipsâ ad curationem filiæ fuisse collatum, idèd non dixit Christus: Sanetur filia tua: sed *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: quasi diceret, quod fiet, erit quia vis: ac ne existimes, id gratiâ assentationis dictum, rerum eventus fidem matris ostendit, nam *sanata est filia ejus ex illa hora*. Denique cum dixit,

zit, fiat tibi sicut vis, ostendit, nihil ab Apost. in re mulieris factum fuisse, sed totū ab ipsā perfectum fuisse. Utri enim animadvertit S. Chrysostom, serm. 27. de Diversis, rogantur Apostoli, rogavit & ipsa: & ad illos quidem dixit, *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israël*: quando autem ipsamet accessit, & perseveravit clamans, ac dicens, *Etiā Domine, nam & catelli edunt de mensā dominorum suorum*, tunc beneficium dedit, & ait, *fiat tibi sicut vis*: Vides quomodo repulit, cum alij prearentur: ubi verō ipsamet orans pro dono clamavit annuit. Ex quibus omnibus Sole clariūs patuit quantam vim obtineat in oratione perseverantia.

Ceterum congruentissimē hanc conditionem ad impetrandum Deus instituit: Sapē enim expedit, ut Deus non statim concedat, quæ petuntur ob multas rationes à SS. PP. allatas. Ex multis quas afferunt, paucas subjiciā.

I. Esse potest, Quia cum ferē sola necessitas ad orandum nos impellat, fit ut si statim obtineamus ab oratione desistamus: Deus igitur amator hominum, eos diutiūs detinet, ut cogat secum esse diutiūs, atque versari, uti Patres solent facere, qui liberis dare procrastinant quæ dare volunt, ut eos diutiūs secum habeant: nōrunt enim filios, ubi obtinuerint quod volunt, discessuros. Audi Chrysost. homil. de Pœnitentiā. Ne dixeris multum oravi, nec exauditus sum: Etenim vel id sæpe tuæ utilitatis sit gratiā: novit enim quod piger es, & animum despondes, & si compos voti fueris, abis jam non orans, & per occasionem orationis, pertrahit te, quod crebrius Deum alloquaris, orationēque exciteris: Nam si eā in necessitate existens, atque indigens pigeritaris, neque orationi insistis; quidnam egeris horum, si nullo indigueris? itaque id tibi facit, quo frugi tibi res fiat, nolens te jugi abstinere oratione.

2. Causa est, Quia sæpe qui petit, non est

dispositus ad recipiendum, & paulatim orando disponitur: Hoc significavit Augustinus serm. 5. de verbis Domini. Petendo, & querendo crescis, ut capias.

3. Causa. Quia vult cogi, & gaudet manus conferere cum creatura suā: Id expressum in Iacob Luctatore, qui non aliam benedictionem obtinere potuit, quā eam, quā violentia extorsit & perseverantia: *non dimittam te donec benedixeris mihi*: Guerricus Abbas Igniacensis serm. 2. in Nativ. S. Ioannis Baptistæ. Bona igitur violentia, quæ benedictionem extorsit: fœlix lucta, quæ Deus homini succubuit, victusque victorem, gratia benedictionis, & honore sanctioris nominis muneravit: Vide autem in quo consistat ea lucta: subdit enim: An non tibi cum Angelo, immo cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis votis resistit? Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te: Decernis rem, & in contrarium tibi cecidit: O dissimulatrix clementia, quæ duritiam te simulat! Quanta pietate pugnas adversus eos pro quibus pugnas? licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te: & immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timonibus tuis. Noli igitur desperare, constanter age felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat utique vim abs te pati, desiderat à te superari. Vnde subdit. Si qua videtur tibi adversari difficultate, aut duritia, ne sis pusillanimis, sed intellige quā mente id faciat. Nempe ut contrarietate ipsa, tibi acuat animum: sicut solet esse natura magnanimatorum, ac fortium, ut vires exercitet, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas.

4. Causa. Quia sæpe oratio melior est ea re, quā petis, melius igitur fuerit te diutius orare, quā re accepta desistere: Hoc significavit Nilus de orat. cap. 32. Ne petas à Deo imperiosē, quod statim velis impetrare, vult

enim te beneficio afficere in oratione perseverantem : Quid enim beatus, quid excellentius, quam cum Deo colloqui, & usu ejus detineri, & conversatione ?

5. Quia sæpe quod petitur non est tunc utile, erit autem postea : ut quod petebat S. Petrus cum dicebat *bonum est nos hic esse*, tunc enim erat, non tempus quietis & fruitionis, sed certaminum.

6. Ut res postulata majori in pretio habeatur, & in desiderio sit, ac diutius custodiat : Augustinus loco citat §. sermon. de verbis Domini : Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat : diu desiderata dulcius obrinentur ; citò autem data vilescunt : Servat tibi DEVS, quod non vult citò dare, ut & tu discas, magna magnè desiderare : Basilius in Constitut. Monasticis cap. 1. Eà re fortasse differt quæ daturus est, ut hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & ut intelligas quod sit donum DEI, & ut datum diligenter custodias : si quidem nititur unusquisque, quod magno labore invenit, id majore etiam quâdam diligentia custodire, ne eo amisso labores etiam una cum eo suos multos amittat, néve neglecto DEI munere aternâ vitâ indignus efficiatur. Quid enim profuit Salomoni, citò sapientiæ donum invenisse, quod postea erat amissurus ? Proinde noli unquam animum despondere, nisi celeriter invenias, quod rogas : Si enim intellexisset Dominus, te si celeriter impetrasses, id nequaquam esse amissurum ; sine dubio, quæ ejus est bonitas, ultrò ipse tibi, nullo tuo rogatu detulisset : nunc verò tibi prospiciens, hoc facit : Etenim si qui talentum quod acceperat, & salvum custodierat, is tamen propterea quod illud ad quæstum non contulerat, condemnatus fuit, quomodo non

verisimile est eum multò gravius mulctatum iri, qui illud etiam amiserit ?

7. Ut fides exerceatur, nam si statim daretur, quidquid postulatur, esset potius experientia quædam quam fides : fides enim maximè exercetur in illâ expectatione, & sustinentiâ.

8. Ut aliquando fides orantium demonstretur, quemadmodum in muliere Chananæa : nam ut ait S. Chrysostom. de Diversis serm. 27. in fine, docet Christus quod dare distulerit, non ut eam repelleret, sed ut patientiam mulieris, omnibus monstraret : Nam si propter repulsam distulisset, neque tardè ei donasset, & nos minimè agnovissemus mulieris ab initio usque ad finem, fortitudinem ; *Dimitte eam* (inquiunt) *quia clamat post nos* : Vos auditis vocem, ego mentem video : scio quid dictura sit. Nolo thesaurum mentis ejus occultum permanere, sed expecto, & sileo, ut manifestetur, & omnibus clarus fiat. Ac licet nullæ tales essent rationes, nihilominus tamen, quia Deus talem posuit, ad impetrandum necessariam conditionem, illa nobis subeunda est.

Verum quia in omnibus prudentia exhibenda est, etiam illa perseverantia secundum regulas prudentiæ sic regenda est : 1. Ut nunquam ab oratione desistamus, aut propter diffidentiam, aut propter animi dejectionem, aut propter impatientiam. 2. Ut si fiat oratio pro bonis temporalibus, interdum ex dilatione concessionis, vel ex aliiis successibus aut effectibus, sumi possit conjectura, non placere DEO concedere quæ petuntur. Et tunc desisti possit à tali petitione, cum humili submissione, & conformitate cum divinâ voluntate, semper credendo, ita nobis fuisse expediens ; sicut in universum faciendum est quando evidenter

constat nostrum desiderium, & petitionem non successisse. Quando verò petitio est de bonis spiritualibus, non est facilè desistendum, tum quia talis oratio per se semper utilis est, tum quia sæpe impetrat, & habet suum effectum, quamvis nos lateat: ut si quis petat remotionem tentationis, quã semper appetitur, non propterea desistere debet; quia fortasse, vel per illam orationem impediuntur aliæ tentationes, quæ essent magis noxiæ; vel ista suo tempore tolletur, quando nimirum erit expediens; aut si duraverit, durabit etiam victoria impetrata per talem orationem: Denique sæpe accidit, ut quæ petimus, non accipiamus, ut scilicet rectiora nobis donentur, secundùm illud Augustini epistolâ 34. ad Paulinum: Bonus autem Dominus qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod malleus attribuat. Vide autem inter duas ultimas orationis conditiones, mirabilem circulum, nam fides, & fiducia perseverantiam affert, uti enim de Abrahamo dixit Apostolus, *Non hesitavit diffidentia, sed confortatus est fide.* Roman. 4. Ita vice versa perseverantia fiduciam accendit: Nam nihil magis fiduciam promovet; quam conditionum impletio: cum certum sit fidei, si nihil obstet ex parte nostra, DEVM suam promissionem impleturum: Adde quod cum DEVS dat perseverantiam in petendo, signum est velle largiri id quod inspirat, ut petatur:

Vnum non prætermittam, sæpe orationem fieri, cum tanto fervore, & intensione,

ut ista perfectio diuturnitati atque perseverantiæ æqualeat: qua de causa dixit Christus, *oportet semper orare, & non deficere*: id est, non deficere, quo usque oratio eum habeat perseverantiæ gradum, quem requirit, præstantia rei petitiæ in oratione, aut tanto fervore fiat ut suppleat perseverantiã, uti patet in Publicano, in Centurione, in Patre Lunatici, & singulariter in nostra muliere Chananæa, & aliis multis.

Ex quibus omnibus veram rationem habemus cur passim nostræ orationes non exaudiantur: *Petitis enim & non accipitis, eò quòd malè petatis*: Quàm enim frigidè, quàm supinè, quàm oscitanter. Anna rogavit cum lacrymis & impetravit: Quin cum DEO luctaris, & pugnas; nec dimittas nisi benedixerit tibi? Pete, quære, pulsa, lacrymare, ingemisce, clama, obsecra, obtestare, insta opportunè, importunè, certa, lactare, impelle, coge, vim infer, ne dubites, obrinebis: si non quod petis, certè quid melius: si non cum petis, aliquando tamen. *Deus fidelis permanet, se ipsum negare non potest*, hoc promisit, hoc stipulatus est, hoc juravit. Tu felix cujus gratia Deus juravit: Infelix qui nec DEO juranti fidem habeas: Pete itaque ut habeas, quære ut invenias, pulsa ut tibi aperiatur: sed pete aliquid DEO dignum: quære quod reperisse, sit felicitas: pulsa, ut cum apertum tibi fuerit, introeas in gaudium Domini tui.

▲men.

FERIA



FERIA QUINTA, vel SEXTA  
DOMINICÆ PRIMÆ  
IN QUADRAGESIMA  
CONCIO QUINTA  
DE ORATIONE.

De modo quo facienda sit Oratio.

*O Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.*

**Q**UONIAM virtus practica est, & ideo quæcumque de virtute disputantur, ea praxim respicere debent; proptereaque parvæ utilitatis est cognitio de Oratione, nisi praxim respiciat. Refert S. Lucas cap. 11. Cùm Christus oraret in quodam loco præsentibus Discipulis, & orare desisset, accessisse unum ex illis, qui dixit; *Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes Discipulos suos*; unde videmus quandam esse veluti orandi artem, atque methodum, quam unusquisque nostrum scire debeat. Quòd si passim homines scire volunt artem suam, ac nemo est qui aliquo Doctore non utatur; Simul et artem oratoriam magno pretio didicerunt, & in eo munere Ilocrates divitias maximas comparavit, cur non potius omni studio bene orare discamus, quoniam ut ait S. Augustinus

Homil. 4. ex 50. Verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare. Sed quo mitiore magistro discemus quàm eo qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; Nam quid oremus, sicut oportet nescimus: verùm ille Spiritus adjuvat *infirmatatem nostram*, & quâ meliore magistra, quàm eâ cui dicitur à sponso in Canticis Canticorum, cap. *Sicut vitra co-cinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* & cap. 2. *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Cui dixit Pacificus ille Salomon cap. 2. 3. Reg. *Pete Mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam*; ipsa est, quam salutans Angelus, dixit ei, Ave Maria.

**I**Nitium petamus ab eo quod Nyssenus notat oratione secundâ de Oratione Dominicâ; scilicet quòd si Moses ubi populum Israeliticum de rebus factis instituit, eum ad montem adduxit, ut videret Dei gloriam, eumque

triduanâ castitate & aquâ lustrali præparavit; id Christus magnificentius fecit, non nos ad montem sensibilem deducendo, sed in ipsos cælos, cum de oratione voluit instituire; est enim oratio sacrum & divinum quoddam opus. Cum verò multa nos de oratione docuerit duo tamen præcipuè. 1. quod orare oporteat. 2. quâ ratione sit orandum: Et primum quidem multipliciter docuit, 1. verbis nos hortando, *Oportet semper orare: Petite & accipietis, Nondum petistis quidquam: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: Vigilate omni tempore orantes*, & alia multa ejusmodi, quibus nos ad orationem invitavit. 2. Exemplo suo. Nam licet omnia Pater dedisset in manus, nihil tamen unquam effecit sine oratione. Totas noctes in oratione pernoctabat, maximam diei partem traducebat; & omnibus præcipuis actionibus orationem miscebat, ut nos rerum omnium egenos orare doceret. 3. Pollicendo impetrationem sine limitatione, ut nihil impediret orationem: Marci 11. *Omnia quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis*; & Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. 4. Removendo omnem dubitationem, multis propositis exemplis ac parabolis; Amici de nocte venientis, & improbitate suâ obtinentis: Parentum erga filios; Immodè etiam injusti Judicis, quem neque timor, neque virtus tangeret, sed importunæ preces viduæ: Quibus exemplis satisfecit cuicumque hominum de se cogitationi; ut enim quisque est affectus, ita DEUM, judicat, sed parentem cogita, vel amicum, vel judicem, nihil est quod repulsam verearis, neque enim is est amicus qui importunè adeatur, nec malus parens, nec judex iniquus: quòd si tamen hæc omnia in illis impedimenta precibus & importunitate sunt superata, quid de Deo cogitare fas est?

Tom. II.

5. Immissis afflictionibus, ut nolentes cogat, & quia afflicti melior est oratio. Innumera sunt exempla, ut de Annâ matre Samuëlis.

6. Quid orando petere debeamus docendo, sicut pueros solemus, precationem ita conceptam, *Pater noster*, &c. ut nulla hominibus adesset exculatio.

Quoad 2. attinet, nempe modum orandi, id verò nos ipse docuit, atq; illud est quod explicare hodiernâ Concione aggredimur; Non quòd ego in eâ re peritus sim: testis enim mihi est ipse Deus, quàm sæpe ab ipso illud donum petierim, dicens cum Samaritanâ; *Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire*: Sed tantum vobis dicam quæ à Sanctis Patribus & Doctoribus legi quoad communem omnium Christianorum orationem: nam illa sublimiora quæ Sponsus agit cum Sponsâ, & secretum postulant, & præcepta non habent: Et verò nemo scit, nisi qui accipit, & qui accipit læpe nescit: *Spiritus enim ubi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat*: Fœlix hora, sed brevis mora, Bernard. ser. 85. in Cant. Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum. Ad modum itaq; orationis ordinariæ veniamus. Et quædam quidè ante orationem observanda sunt, quædam in ipsa oratione.

Ante orationem quidem quod ait Sapiens Eccli. 18. *Ante orationem prepara animam tuâ, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*: Tentare enim Deum ille censetur, qui modo ad impetrandum inepto, & qui potiùs iram, quam beneficium meretur, impetrare contendit. Porro ista animæ præparatio exigit.

1. Ut turbulentos animi tui motus compescas, & animum tuum abstrahas à curis: hoc est enim quod Christus præcepit Matth. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*. Ambr. lib. 1. de Abel. cap. 9. Cubiculum tuum, mentis arcanum, animique secretum est,

K

in

in hoc cubiculum tuum intra, hoc est egredere de corporis tui exteriori vestibulo, & totus intra in alta præcordia cordis tui, & claudes ostium: Hæc ille. Alioqui passim videas homines ab ira, à jurgio, à convitio ad orationem ruere, aut à negotio, aut à ludo. Idem pergunt facere in oratione, adhuc irascuntur, quia scilicet animum non collegerunt: Et passim querimur de distractionibus: Id verò mirum non est, & potius contrarium vehementer admirarer: Nam uti mare sedatâ etiam tempestate adhuc movetur: ut solet à magno sensim languescere fluctus æquore, &c. ut in febribus post accessus remanet calor: ut post corporis cursum, adhuc cor calet, & salit vena: ita post multa & varia negotia, manet adhuc mens dissipata: & natura ita comparatum est, ut nemo ab extremo ad extremum transeat sine medio: unde passim matutinum tempus commendatur ad orationem, utpote magis tranquillum, & nondum curis implicatum. Sic David precabatur Psalm. 85. *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum*: Hieronymus vertit ex Hebræo, unicum fac cor meum: Symmachus, aduna cor meum ἐνωσον. Aquila autem, sit cor meum unice μοναχως, ut nimirum uni Deo vacetur: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, qua non auferetur ab eâ.*

2. Ut cum animo tuo reputes quem affari, & cujus colloquio frui velis. Chrysostr. in Psalm. 145. Cogita ad quem accedis, & sufficet ad excitandam vigilantiam ejus dignitas, unde gratiam expectamus: acturi enim sumus cum Angelorum Domino, quem Beatæ mentes inusitato metu oppletæ, vultumque obvelantes demississimè venerantur. Cum Rege colloqui vel cum Imperatore olim creditum munus divinum: unde Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 3. Ep. 22. Quilibet habere nostra colloquia, munera credit

esse divina. Quantò magis ut quis cum Deo colloquatur? Hinc fiet ut unusquisque pluris hanc actionem faciat, neque temerè eam aggrediatur: Et hoc voluit Salomon Ecclesiastis 5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim in caelo, & super terram.*

3. Loco requirit Præparatio, ut seriò cogites quidnam sis cum Deo tractaturus: sicut qui cum magno aliquo Principe acturus est, prius cogitat, quidnam debeat tractare, ne cum in conspectum ejus venerit, stolidus appareat: ita multò magis qui acturus est cum Deo, ante expendere debet, quid agere velit, nimirum an illum laudare, an gratias agere, an beneficia aliqua ab eo poscere, & quænam sint, an aliquod negotium ad salutem ipsius pertinens, aut spectans Dei gloriam, & servitium tractare. Et eò spectavit Sapiens cum id dixit quod mox attuli. Etenim ex omissione hujus considerationis, unum ex his tribus incommodis accidet: Vel scilicet in ipsa Oratione nescies quid sis acturus, & quid postulaturus: & est contra Dei reverentiam, meminisse autem debueras moniti, *Deus enim in caelo, & tu super terram*: vel ex precandi necessitate multa promittes & vovebis, quorum postea te pœnitebit, & multa petes, quæ nolles accepisse: unde eodem loco monet Sapiens, *Displicet Deo infidelis & stulta promissio*: vel denique mera garrulitas erit oratio tua, & multa verba inutilia sine aliquo scopo, & sine certa destinatione proferes, more hominis stulti: quòd videmus quotidie contingere in multitudine precù inutilium, de quo etiam defectu admonuit Sapiens, ibid. *Idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequantur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia.* Quasi diceret, quemadmodum variæ diurnæ cogitationes & inconstantes non pariunt nisi somnia diversa & ridicula, ita in oratione multa verba non coherencia non effi-

efficiunt nisi stultas promissiones. Et ea de re Christus cum de orationis modo discipulos erudiret, eosdem admonuit, Matth. 6. *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Vox græca aliquid habet quod ad nostram rem facit; Monet enim ne simus Battologi, sicut Gentiles, quod explicans Gregor. Nyssen. orat. 2. de Oratione Dominica ait cordatum sermonem, & aliquid utilitatis quærentem, ac sibi aliquid determinatum proponentem dici λόγος: Eum verò qui tantum ad voluptatem superfunditur non esse sermonem seu λόγος, sed Battologiam: Ita amentes & furiosi dum multa jactabundi pronuntiant, nilque sensatum ac determinatum atque cohærens loquuntur, Battologi sunt, non oratores: Idem planè illi contingit qui ad orationem accedit, nec quid peteret cogitavit. Age enim, mi Auditor, quid per horam hic in templo, versus altare mussitasti, quid libros integros recitasti, quid globulos versasti? Oravi dices, sed quid tandem à Deo petivisti? orare volui dices. Ita sanè, sed non orasti: quamobrem? quia quid cum Deo tractares non prius cogitasti,

Sed vide iterum hujus rei momentum. Inter cætera quæ Christus respondit quærenti discipulo quomodo esset orandum Lucae II. hoc unum fuit, *Quis autem ex vobis Patrem petijt panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi; aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem?* Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cælo, dabit spiritum bonum petentibus se?

Quæ parabolâ docet ex interpretatione Chrylostom. homil. 24. in Matth. Discrimen esse atque differentiam ponendam inter ea quæ peti possint, quæ Christus in quatuor classes dividit, & tria rejicit quæ peti non possint, & quæ si petantur, nõ obtineantur. Quæ-

dam enim sunt inutilia; ut si quis pro pane, lapidem peteret; quædam sunt nociva; ut si quis pro pisce serpentem; quædam mala sunt, ut si quis pro ovo posceret scorpionem: sicut itaq; nemo parens pro rebus utilibus & convenientibus dat filio res inutiles, aut noxias, aut malas; ita nec Deus filiis suis, quia Pater est, & bonus Pater. Sed tu vide ne cogas Deum qui se nihil oranti negaturum dixit, tibi tamè oranti quod petas denegare, cum non petas quod utile est & conveniens: Nam si petieris quæ oportet, repulsam non patieris; sed cum omnia peti non debeant, ut sunt inutilia, nociva, & mala, sed tantum honesta & convenientia; tuum est prius quam petas cogitare quid petas, ac discernere, num sit utile aut inutile, proficuum, aut nocivum; bonum aut malum; unde patet esse necesse ut ante orationem cogites, quid sis cum Deo tractaturus. Est etiam aliud quod omittere non possum, nempe secundum diversitatem eorum quæ habemus cum Deo tractanda, diversam etiam nobis coram Deo sustinendam esse personam: unde prius necesse sit ut ante orationem statueris & quid cum Deo tractandum tibi sit, & quo tandè habitu, ac dispositione. Quid causa esse putas cur cum Publicanus ascendisset orare in templum, steterit de longè, nec oculos ausus fuerit lavare in cælum, nisi quia veniam de peccatis rogaturus venerat? Cur Magdalena sparsis criminibus, lacrymis per orafusis, ad pedes Christi Domini accurrit, nisi quia venerat veniam oratura? Putas invenisse in domo Simonis unguentum quod effunderet, cum nec ipse Simon habuerit oleum quod daret? attulit ipsa alabastrum domo, & effudit in pedes: Quid est quod alio tempore, non pedes, sed caput, unguento perfudit? an id casu fecisse putas? Non certè sed consilio; nam ad pedes rea accurrit, ad caput jam sponsa. Quid est quod CHRISTVS cum sæpe stans orasset, cum tamen esset in summa spiritus



agoniâ, *procidit in faciem suam orans* ? ut ait Matth. cap. 26. Quid est quod David nunc stans, nunc ambulans, nunc saltans, nunc cantans, nunc in sacrificijs Deum oraret, sed cum pro adulterio & homicidio, & vita pueri deprecatus est, id fecit longè alio apparatu ? 2. Reg. cap. 12. *Et jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram: secundum illud, Adhasit pavimento anima mea.* Quid quod aliter Iudith sistit se Deo ante victoriam, cum ut dicitur cap. 9. *Iudith ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & posternens se Domino, clamabat ad Dominum: Aliter post victoriam, cum uti dicitur cap. 16. Tunc cantavit canticum hoc Domino Iudith dicens, Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum novum, exaltate & invocate nomen eius: Et de populo dicitur, Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum: Vide prodigum reverturum ad Patrem, quomodo orationem suam disponat, & quid sit dicturus Lucæ 15. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis: nunquid ut paraverat ita fecit: Et surgens venit ad patrem suum: Ac licet Pater occurreret & misertus oscularetur. Dixit ei filius, Pater peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Vide quàm profuit cogitasse quid diceret? Dic mihi, A auditor, id ne unquam tibi venit in mentem sub quâ personâ te Deo in oratione sisteres, an ut reum coram Iudice: an ut discipulum coram magistro: an ut subditum coram Rege: an ut filium coram Patre: an ut sponsam coram sponso: an in luctu & in lacrymis, in sacco & cinere, an hilarem & jucundum in gaudio spiritus in canticis & hymnis, sicut ait Apostolus *Psalentes & cantantes in cordibus vestris: Est enim aliud tempus flendi, & aliud tempus ridendi: aliud tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab am-**

*plexibus.* Sed hæc dicta sufficiant, ut quàm ea pars præparationis necessaria sit unusque intelligat.

Quæ sequuntur ita orationem antecedunt ut pars ejus prima & quasi exordium vocari possint, neque unquam omitti debeant.

1. Itaque Deum cum quo agere debes ante oculos tuos constitue, teque illi præsentem siste. Est enim hominis planè insani ac stulti ad absentem verba facere. Id verò tanti est momenti ut inde pendeat maximâ ex parte orationis nostræ successus. Pulcherrimè David Psal. 141. *Effundo in conspectu ejus orationem meam:* Itaque uti hæc verba exponit S. Hilarius, Non negligenter neque ex securitate, sed tanquam Deo præsentem. Vnde postea subdit, Deum præsentem non absentis dissimulatione, sed præsentis honore reverendum esse. Hæc autem divina præsentia multis modis fieri potest. 1. si concipiam<sup>9</sup> illum tanquam Spiritum per omnia diffusum omnia, impletè & continentem, nostraque omnia clarissimè intuentem, ac sentientem: Ipse enim ubique præsens est, & oculi ejus multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum, &c. Eccli. 23. Quo sic ob oculos proposito, & considerato, tanquam cum præsentem & nos videntem, atque audiente totâ oratione agendum est: 2. si concipiatur tanquam lux immensa intimè nobis præsens, & in corde nostro residens, cum omnibus thesauris & donis suis cum totâ sapientiâ, potentiâ, sanctitate, & bonitate suâ, quibus nos in momento sanctos efficere potest & beatos: Et sub eâ ratione dirigenda est ad ipsum tota oratio nostra; ad eum dixi tanquam intranos, & in fundo animæ constitutum: Id voluit S. Thomas cum dicere soleret frustra homines quærere Deum in cælis cum orarent, cum in seipsis eum habeant: Nam cum inter duos saltem sit oratio, & colloquium, eo genere præsentis est Deus in animâ quo non est in creaturis corporeis: & hic modus est omnium opti-

optimus, ac requirit secretum locum, ubi oculi mentem non avertant: Et ita multi interpretantur hunc locum, Matth. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum:* Nā, ut ait Bernardus in Medit. cap. 6. ubicunque fueris, intra te ipsum ora; si longē fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es; si fueris in lecto, aut in alio loco, ora, & ibi est templum: 3. Quoniam Deus homo est, & in cœlis, concipi potest sub augusta formâ humanâ, sedens in solio cœlesti, circumfusus luce infinita, & infinitis Angelorum myriadibus quomodo apparuit Danieli, Isaiâ, Ioanni in Apocal. & aliis; quod nobis eo est facilius quod res est verior post Incarnationem.

4. Quoniam Christus Dominus nostrâ causâ varios status subire voluit, nulla erit deceptio, eum sub variis illis statibus intueri. Proponi itaque potest nunc in stabulo Bethlehæm, nunc pendens in cruce in monte Calvariæ, nunc plenus luce in Resurrectione, nunc sedens ad dexteram Patris, circumfusus Angelorum & Beatorum Spirituum immenso exercitu, nunc ut sedens in nubibus, Iudex vivorum & mortuorum: His & similibus modis Deum cōcipere debemus, quando seriò orare volumus, & ei sic proposito nos humillimè prosternere, ut tōra nostra oratio ad eum tanquam præsentem, & nos videntem, & audientem dirigatur: Qui enim cum aliquo vult colloqui, debet eum habere præsentem, & tanquam cum præsentem agere, alioqui sermonem ad eum non dirigit, sed in aërem loquitur: porrò nos de oratione loquimur, non eâ quæ de Deo est, sed de eâ quæ cum DEO fit, neque est scenica & theatralis oratio, sed vera & propria: Atque hujus conditionis defectu ridiculæ omninò sunt magnâ ex parte mortalium preces. Et ut quondam cum Darii mater Alexandrum salutatura, ad Ephesionem se convertit, Non errasti mater, subrisit Rex, nam &

hic Alexander est, pejore successu illi falluntur, cum ad alium omnem quàm ad Deum orationem suam convertant.

2. Loco adoranda est Dei Majestas, neque enim videri potest sine metu ac reverentiâ: Ita Reges & Principes adire solemus; Ita Christus Patrem adorare solitus; unde ait Paulus auditum illum esse à Patre *pro suâ Reverentiâ*, non eâ tantum quâ dignus erat, sed quâ Patrem in oratione honoravit. Quid enim dicere volunt Evangelistæ, Matthæus, *Procidit in faciem suam orans*, Marcus, *Procidit super terram, & orabat*, nisi ut nos docerent quâ Christus reverentiâ Patrem oraret; si Filius id fecit, quid te servum facere convenit? pudeat te minus honoris reddere Deo quam non dicam Regi aut Principi, sed tibi æquali, cui loqui non incipis, nisi prius salutato. Post factam adorationem.

3. Loco petendum à Domino auxilium, quo dignè tantum munus præstare possimus, nimirum eo mentis ascensu, eâ attentione, eâ reverentiâ, & eo affectu, quo par est Creaturam cum suo Creatore colloqui. Et ratio est, Quia inter homines nemo statim petitionem suam facit, sine aliquâ præfatione honoris. Item ex Dionys. nulla actio Theologica sine oratione perficitur, orationem autem ille vocat opus divinum, & ipsa oratio quæ ad omnia prærequiritur, ad seipsam necessaria est: Deniq; ipsa oratio donum est, *ευχης χάρισμα*, igitur peti debet; sed nō per aliud quàm per seipsam; Porrò ea petitio fieri debet nunc uno, nunc alio modo, prout orantis animus affectus est: Atque hæc omnia pertinent ad orationis præparationem.

Neque verò hîc mihi dicas, te sapius preces fuisse, neque tamen ista unquam præstitisse. Ita sanè sit, quoniam fateris, sed simul etiam fatere te nunquam precatum esse ut oportuit, nullumque ex precibus tuis fructum retulisse. Idèd tot annos idem es,

in iisdem vitiiis, in eodem cœno, immò quotidie evadis deterior. Ideò mens tua in tam varia vagatur, & orationes tuæ, perpetuæ sunt animi evagationes, non oras, sed nugaris; quia neque quid proferas nosti, & licet noris quod verba sonant, id non est in affectu; quod autem quis non desiderat, id verò non petit, licet verba petentium proferat: essentialiter enim oratio supponit desiderium rei quæ petitur, cum ipsa nihil aliud sit quàm ejus desiderii expressio, quòd cum actuale nullum sit, fieri non potest ut sit oratio; sed est potius verborum effusio quàm oratio. At quæris an hæc omnia ad orationem necessaria sint? ita planè necessaria sunt, quo authore id dico? authore Scripturâ, quæ imperat, te animam præparare ad orationem: alioqui, dicamabo, quæ hujus præparationis pars omittenda tibi videatur? 1. an recollectio? nequaquam; nisi velis esse distractus, & te ipsum ad tuam experientiam provoco? 2. an cogitare quocum sis acturus? sed hæc cogitatio totius orationis est fundamentum: ideò Christus cum nos orandi modum doceret, sic incepit, *Pater noster*. Age, ni cogitaveris Patrem, itane appellabis? An 3. cogitare quid tractare debeas cum Deo? Neque illud; ne sis planè infans, aut inurbanus, qui Deum & Regem adeas, neque scias quid velis, quid optes: Nunquam illud audivisti, Angelos nobis orantibus adesse? Id docet Sanctus Bernardus Serm. 70. in Cantica, Credimus Sanctos Angelos assistere orantibus; offerre Deo preces, & vota hominum: Itaque Apocalyp. 5. dicuntur habere *phiaas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*. Sanctus Nyssenus, *Phialas* interpretatur animas orantium, quas vocat *κεκτηνης σοφίας*, Sapientiæ crateres: Hæc verò odoramenta vocat David Psal. 141. *θυμίαμα* incensum: S. Bernard. ser. 3. super Missus, holocaustum Sanctæ devotionis: Tertul. in apolog. cap.

30. Opimam & majorem hostiam de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu Sancto profectam.

Quo ista pertinent? ad propositum, mi Auditor. Cum enim orationes ac preces sint incensum quod gratissimum Deo offertur, secundum illud Davidis: *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: cum inquam sint sacrificium Deo gratissimum quo offerimus *vitulos labiorum*, immò offerimus quod *placet Deo super vitulum novellum cornua producentem & ungulas*: cum horum sacrificiorum legitimi Sacerdotes sint Angeli, uti discimus ex Scripturâ in Tobia, in Cornelio, in Daniele, in alijs; hinc fit ut ad Orantes illi statim accurrant. Jam si tu ipse nescis quid velis, quid pro te Angelus offeret? quid suo nomine proponet? Quid facit in manu tuâ thuribulum si non habes incensum?

An 4. negas necessariam tibi Dei præsentiam? Sed profectò ille stultus est qui absentiloquitur, hoc est non audienti. At inquit semper sum illi præsens, ubique enim est. Ita sanè: sed ipse non est tibi præsens. Memento quod ait Augustinus cœcum in sole solem non videre. Ille quidem præsens est soli, sed propterea solem non habet præsentem, quia non videt.

An denique præviam rejicis orationem? Tu verò in urbanus es, ac nescis cœlum suas etiam habere urbanitates: Parum certè nosti te rem aggredi difficilem, quam sine auxilio præstare non possis; Nam quid oremus, ait Apostolus, sicut oportet nescimus: sed ipse spiritus, qui ut supra dixit, *adjuvat infirmitatem nostram, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Quid petere poteris, cum ne hoc quidem petere scias, ut aptè petas.

Maneat itaque hujus præparationis necessitas, & facessant nugatores, qui cum volucres cœli videant nihil in annonam reponere,

negant etiam eum qui orat, parare aliquid debere ad orationem. Sed aliter sentit Ecclesia, aliter sentit Scriptura, aliter omnes Sancti. Certè scio sæpè animam attolli & rapi à summa Dei Majestate, sæpe idem ei contingere, quod ei qui cùm Regem adit paratus de quibusdam, alia majora audit à Rege, nec interpellat. Verùm ex se semper est paratus quisq; si sapit tantillum, uti majestatem decet Regiam: præterquàm quod nemo Deum tentare debeat, si præsertim ab eo velit aliquid obtinere.

Hac præparatione præmissâ ad orationem accedendum est; quæ ut optimo modo fiat, ea quæ sequuntur requirit.

I. Magnam attentionem ad Deum cui loquimur, quem nobis in præparatione ob oculos posuimus: cum enim tota erectio ad ipsum, tanquam ad præsentem dirigi debeat, sanè à rebus terrenis mens attollenda est. Itaque Christus cùm orare doceret, voluit nos dicere: *Pater noster qui es in cælis*, & cùm ipse oraret, dicitur. Quòd oculos in cælum levaret, vel cælum suspiceret. Eò spectavit illa solemnitas in Ecclesiâ monitio ex ritu Apostolico, *Sursùm corda*. Et ut refert Clem. Alexan. libro 7. Strom. pedes attollimus in extremâ orationis acclamatione, prompto animo & alacritate insequi cupientes beatam illam naturam, quæ mente & intelligentiâ percipitur: & unâ cum verbo corpus abducere conantes, erectam animam, & desiderij pennis elevatam cogimus in sæcula progredi. Ex eâ re magna oritur attentio ac reverentia, cùm sciat is qui orat sibi rem esse cum Deo, coram cujus majestate, ne ipsi quidem Angeli securi sunt. Unde Chrysol. serm. 5. Archangeli tremunt, pavent Angeli, potestates metuunt, in faciem prouunt Cæli seniores, elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes defluunt, terra tremat, & homo terræ, interpidus intrabit? præsertim cùm sciat orans, Deum pecu-

liari ratione sibi attendere, secundùm illud *Attendite Domine, item inclinavit aurem suam mihi*. Hinc oritur ut distractiones voluntariæ sint peccata: nam licet, cùm oras non tenearis orare aliquando, tamen si oras, debes attendere, & si non facis, peccas, quia si agis cum Creatore, debes agere cum reverentiâ quæ talem decet personam: unde si eo tempore mens applicetur ad objecta obscœna aut alia quæ contineant gravem aliquam inhonestatem & turpitudinem in genere moris, quoniam ejusmodi distractio gravem contra Deum irreverentiam continet, peccatum est mortale, licet id passim à pluribus negligatur.

2. Magnam requirit ad ea quæ dicuntur attentionem: illa autem duplex esse potest: Aut ad verba ipsa, non solum ut omnia distinctè, atque aptè pronuntientur, sed etiam ut de sensu cogitetur. Itaque danda opera ut antea probe illa intelligamus, vel piam aliquam illorum intelligentiam habeamus, & conandum est ut eodem spiritu quo primum concepta & scripta sunt, Deoque à Propheta Davide, aut ab alio decantata sunt, proferantur. Quare illi in nobis excitandi sunt affectus quos in singulis suis partibus exigunt ejusmodi cantica, quosque ipsi Authores sacri habuerunt; & ita cavendum est ne tam celeriter decurrantur, sed sensim, & paulatim fundenda sunt. Aut aliunde attentio esse debet ad id quod quisque à Deo postulat: cùm enim verba Latina profers quæ non intelligis, & quæ sunt preces Ecclesiæ, eius verbis uteris ad postulandam Dei misericordiam, & ex tuâ intentione hoc idem ipsa significant, quod animi tui affectus; nam licet per se aliud significant, hoc tamen semper significant, scilicet, te aliquid à Deo postulare: Et sæpe fit, ut plus accipias, quàm petis: Tu enim corde petis, quod postulas, & pro te aliud Ecclesia postulat illis verbis quæ profers, quæ quoniâ tu adhibes, eadem postulare censeris, & verè postulas.

3. Requirit summam humilitatem, & animi demissionem, ut Deum rogare, non impetare Deo videaris: nam uti dicitur Eccli. 35 *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur: &c.* Exemplum in Christo orante pronâ in terram facie: Et in Davide jacente in terra, unde ait: *Adhæsit pavimento anima mea.*

4. Quod exigit S. Chrysoft. in Psalm. 146. *σπουδήν ἢ προθυμίαν* studium, & animi alacritatem: nam ferè ex socordia oriuntur innumera distractiones scio quidem oriri plerumque ex humana infirmitate ut advertit S. Augustinus in Psalm. 102. Item ex Dæmonis malitiâ, unde Chrysoft. in Psalm. 145. Deus appellat Diaboli fraudem & machinamentum: itaque ex Origen, in c. 10. Epist. ad Rom. Magnus agôn est orationis, ut obliuiscens inimicis, & orantis sensum in diversa rapiens, fixa ad Deum semper mens stabili intentione contendat. Sed præcipua causa est defectus applicationis, contentionis atque alacritatis animi. Quare monet Isidor, Pelusiota lib. 3. Epist. 171. precari oportere animo vigilantissimo: alioqui animi per diversa vagantis orationem rectè Cassian. Collat. 4. cap. 2. appellat nutabundam, & quodammodo ebriam: Apostolus 1. ad Timoth. 2. factam cum disceptatione: Iubet enim levare puras manus sine disceptatione: Græcè est *χωρὶς λογισμῶν*. id est sine multiplici cogitationum varietate, quæ distrahat mentem, & conturbet: nam de mentis evagatione id sumit S. Ambros. lib. de Sacram. cap. 5. unde Apostolica Constitutio apud Clementem Rom. lib. 7. cap. 13. Ne sis duplex animo in oratione tuâ *δύψυχος*. sic Jacob cap. 1. Epistolæ suæ hominem animi distracti, ac dissipati vocat. *δύψυχον* hoc est duplicis animi, & turbati erga plurima, cum tamen unum sit necessarium: his autem nugis nos liberat animi alacritas de quâ David, Psalm. 85. *Latetur cor meum, ut ti-*

*meat nomen tuum.* Quod ut supra diximus Hieron. vertit ex Hebræo. Vnicum fac cor meum: & Symmachus aduna cor meum: ut nimirum uni Deo vacetur.

5. Ut ex intimo cordis fiat oratio: quâ voce studium & ardor intentionis designatur, qualis fuit Davidis oratio: *De profundis*, hoc est ex Chrysoft. in psalm. 129. Ex corde profundissimo, & ut loquitur ex ipsius mentis penetrabilibus: Sic Eliam orasse dicit, quippe qui corpus inflecteret orando & capite in genua demisso seipsum cum magno ardore incenderet. Ideò & David orationem vocat incensum, ac suffitum, si videlicet ignis accesserit: unde necesse est animam fieri ut idem Chrysoft. ait in Psalm. 140. *θυμιατήριον* thuribulum, divini ardoris igne: può flagrantius, eò fragrantius. Itaque orans non fatigatur eadem sapius dicere, atque repetere. Ita Christus oravit in diebus carnis suæ: Etea fuit ratio cur avulsus à suis oraret, ut clamare posset, secundum illud, *cum lachrymis & clamore valido*. Et ea causa est cur oraturis consilium dederit ut clauderent super se ostium. Hoc faciebat Iudith, hoc Esther, hoc Mardocheus, hoc Daniel, hoc David.

Denique id exigit ut finis orationis sit ferventior quam initium: iuxta illud Eccli. 70. *Melior est finis orationis quam principium*: idque significavit Christus his verbis & hac etiam gradatione Lucae 11. *Petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis*: quia, si petentibus non datur, quærite, hoc est majus Studium, & diligentiam adhibete: nam, ut ait Chrysoft. qui aliquid quærit, cuncta alia è mente projiciens uni illi intentus est quod quærit, ac præsentium rerum nihil considerat: quod si nec quærentes invenieritis, quia difficile est quod petitur, vel aliâ de causâ differtur, non deficiatis, sed pulsate, id est, constanti instantiâ, & vehementi, quasi importuni petite; aperietur enim

enim vobis, & quod toties negatum erat, quasi intra portas clausum, consequemini velut januis apertis, & aditu facto: Sic autem animus in oratione paulatim incalcescit: Unde S. Hilarius Canone 6. in Matth. obtinere in solâ precum morâ est, non tantum ob perseverantiam, sed præcipue propter fervoris augmentum,

Quid hic primum conquerar, Auditores, qui loquar, & quem contestabor? quis enim orat uti oportet, quis has condiciones in orando observat? Quam frigidi, quam distracti, quam irreverentes! De Josepho Abbate dicitur in vitis Patrum quod cum manus in cælum tolleret oraturus, digiti ejus videbantur velut decem lampades ignis claro splendore lucentes: nostenebras afferimus. Unde de plurimis dici potest, *Et oratio eius fiat in peccatum.* Et illud Ilaia. 66. *Qui immolat bovem, quasi qui interfi-*

*ciat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris quasi qui benedicat idolo.* Nam cum orationem Deus dederit quasi communem mundi portum, passim homines oratione non Dei misericordiam, atq; gratiam quærunt, sed iram & indignationem. Quare cum orare nobis tam sit necessarium quam aërem ducere, hoc studeamus scire quod scire tantum interest, ut cum orare sciverimus impetrare sciamus. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Cum certi simus, de assuetudine, nã gratis sumus miseri, si orationem non adhibemus. Hoc malum à nobis avertat Deus, sed ita nos doceat, & nobis donet orare ut orando impetrare ipsius misericordiam, gratiam & gloriam possimus.

Amen.

DOMINICA SECUNDA  
IN QUADRAGESIMA  
CONCIO PRIMA  
DE TRANSFIGURATIONE.

De apertissimâ Christi Divinitatis manifestatione in Patris testimonio, & in luce mirabili.

*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

Matth. 17.

**H**IC cœli & terræ video certamen, disum mutarit. Cur enim Paradisum terram non vocem, ubi se DEVS in gloriâ terra, cum DEVS terram in Paradisum conspicendum donat? Quare non mirum

Tom. II.

L

si Pe-